

DE ACTIONE REVOCATORIA, ET DE CONCVRSV, ET PRÆROGATIVIS INTER ACTORES.

ANTONIO GALISIO
I. C. Neapolitano Auctore.



Neapoli, Typis Hyacinthi Passari MDCLXIX.

Superiorum Permissu.




EMINENTISSIMO, AC REVERENDISSIMO DOMINO

LAVRENTIO RAGGIO

S.R.E. CARDINALI AMPLISSIMO.

Antonius Galisius Felicitatem.



Aboriosa ingeniorũ ſpecimina, EMINENTISSIME DOMINE, delecto cuipiam ex conſpicuis magnatibus, veluti Numini primitias dicare, receptum iuxtà videtur, ac laudabile: nec facilè mos exploditur, quem totius literati cœtus continuata ſuffragia comprobarunt. Ego ab adoleſcentia vaſtiſſimum Iuriſprudentiæ campum peragrare ex animo ſtudẽs, cùm animaduerterem, alios alias ſibi excerpſiſſe portiones, ac veluti areolas, ſuo quemq; ſtudio excolendas, ſimul vt ſibi nomen quærerent, & publico compendium; quo



vixisse me posteritati innotesceret, experiri ausus sum, num meliorum vestigia longo vel ex interuallo sequi contingeret. Iterum, atque iterum longè, latèque patentem iuris aream circunspexi, si qua forte neglecta portio prętermissa, aut alioqui obtutus fallens euasisset, quam mihi arriperem pro mearum modulo virium illustrandam. Quid autem? vidisses interminatam vastitatem vndique occupatam, vt non tam frequenti examine cadauera muscæ obsideant, quàm interpretum omnis notæ colluuies (pace doctissimorū) in iurisprudentiæ volumina nullo non tempore præceps ruerit, vt frustrà Imperatorum sedulitas tot millia millium voluminum abolenda consuluerit, quando iam eò vsq; prisco altior excreuit voluminum cumulus, vt si quo felici terrarum orbis fato conflagrationi damnata addicerentur; tantæ facere molis absumtionem ignis ipse pertimesceret, ac desperaret. Angulum tandem visus sum nancisci, non adeo cultum, quippe quem vixdum quisquàm, vel manus iniectu, vel pedis positu

ple-

pleno ſibi iure vendicauerat,& in rem ſuã verterat: atq;adhuc in medio poſitum occupare auſus ſum, tractatum ſcilicet de Actione Reuocatoria, quotidianis quidẽ iurgijs in foro agitatum,à nemine autem, quod ſciam,peculiaribus laboribus plenè, abſoluteque expolitum:quem ſuis obſeptum vepretis aperire, & peruium reddere tentaui. Et iam penè in bono lumine expoſitum,ac nouo ſchemate inſtructũ. Tibi EMINENTISSIME DOMINE cernuũ deſtino: hac nimirum occaſione reperta animum deuotiſſimum declarandum duxi ad meam in Te obſeruantiam teſtificãdam:neque enim citra ingrati animi notã immemor eſſe poſsũ, quòd me Romę ſtudiorum cauſa degentem, tua benignitas beneficijs cumulauerit: quorum memoria ſæpe mihi ſomnum excuſſit,ſed nec vigilare torpeſcente animo permiſit: graue eſt enim homini multa debenti, nullas de ſe optimè merito gratias referre. Calcar addidit deuinctiſſimo animo, quòd cùm hæreditatem ſoceri mei Anelli Portij, Sacri Neapolitani Conſilij Senatoris, ac eidẽ

Vrbi

Vrbi Præfecti,nuper mihi aditam excuterem; nil pretiosius, aut iucundius inde adeptus sum,quàm deuotam illius in Te officiorum professionem. Hilarem quæso illi frontem ne dedigneris ostendere,timido adhuc,nec satis diuite cultu prodeũti. Paruus, fateor,videri potest,at non omnia mole metienda sunt:est etiam quibusdam citra molem rebus honor suus. Nam si nihil hilari fronte aspicere constitueris, nisi quod tuo dignũ nomine iudicaueris; omnem profectò spem ingenijs ad laudem laborantibus abstuleris: quis enim sibi persuadeat, aut spem sibi faciat, adeo dignũ, atq;admirandum opus se posse conscribere,quod virtutem tuam exæquet, aut merita assequatur? cum illum, & fortunæ,& virtutis apicem pertigeris,vt quicquid ab vtraq; pari consensu in hominem conferri possit, id vniuersum in Te resplendeat. Consueuerunt,qui sua nuncupant, patroni nobilitatem sibi facere argumentum, ibiq;luxuriantis orationis frænis indulgere. Vocem gentilitij stemmatis alius exagitat, inuersisq;ac per artificiosam meta-

the-

thesim permistis literis, aliquid suo respõdens genio studet elicere, quo legentium aures, animosq; demulceat. Emblema expendit alius, & siue asteriscum, siue leonẽ, aut tale aliquid, quod patroni palato pruriat, vel ex intimis naturæ adytis, vel ex penè vetustate abolitis hieroglyphicis interpretatur ad nobilitatem stabiliendã, enucleandam, amplificandam. At ego quid facerem nobilissimi tui stemmatis mole obrutus? Citò me vtcunque expediam, si hoc vnum dixero, cõcipere me immortale Cœlũ duobus magnis luminaribus æquo positu decoratum, Eminẽtissimis inquam DD. Octauiano, & Laurẽtio Raggijs S.R.E. Cardinalibus: omittens interim innumeros omnibus heroicis numeris admirãdos Raggiorum familiæ firmamentum felicissimè distinguentes, ac decorãtes: ne videar historiam adornare potiùs quàm epistolã. Hæc autem nec sua magnitudine, nec suis exprimo coloribus, sed geographorũ more, breui tessera ostendo, vt velut inuerso tubo seipsis minora conspiciantur. Seruet Deus Eminentiã Tuã ad suæ decus Ecclesię in ãnos plurimos. Neap. Idib. Iul. 1668.

EMINENTISSIME DOMINE.

OBtemperans iussis Eminentissimæ Dominationis Tuæ vidi librum, cuius titulus, de Actione Reuocatoria, &c. V.I.D. Antonio Galisio auctore: in quo nihil aduersum fidei Catholicæ, bonis moribus, Ecclesiasticæ iurisdictioni, sed omnia iurium penetralibus acutissimè, doctissimè, ac profundè indagata reserata, ita vt mereantur literarij orbis lucem, & laudem si ita videbitur Eminentiæ Tuæ. Domi 21. Ian. 1669.

Franciscus Verde.

In Congregatione habita coram Eminentissimo Dom. Card. Caracciolo Archiep. Neapolitano, sub die 13. Februarij 1669. fuit dictum, quòd stante relatione reuisoris imprimatur.

Metellus Talpa Vic.Gen.

Franciscus Guarinus Soc.Iesu Deput.



EXCELLENTISSIME DOMINE

PErlegi tuo iussu Excellentissime Princeps præclarissimi I.C. Antonij Galisij tractatum specialem circa Actionem Reuocatoriam: nihil Regiæ iurisdictioni aduersum inueni: imò valde commendanda est Auctoris sapientia in legali scientia, bonarum literarum eruditio, textuum eruditissima interpretatio, ac methodus scribendi clarissima: quapropter, vt typis subdatur mandare dignetur Excellentia Vestra, cui plurimos pro meis votis annos ab orbis Conditore humiliter deprocor. Neap. die 12. Augusti 1668.

Excellentiæ Vestræ.

Seruus deditissimus
Scipio Cassianus V.I.D.
& vespertinæ Cathedræ
canonici iuris interpres

Visa retroscripta relatione imprimatur, & in publicatione seruetur Regia pragmatica.

Galeota R. Carrillo R. Capiblancus R.

Prouisum per S.E. Neap. die 13. Augusti 1668.

Lombardus.

Vias

Vias tuas Domine demonſtra mihi.

ARGVMENTVM.

Doti, fiſco, vniuerſitati, eccleſiæ, minoribus, alijſque ſub curatore manentibus, qualiter, & quando detur priuilegium reuocãdi ſolutionem pecuniæ, ac aliarum rerum ſuarum alienationem: qui, & quando reuocent pecuniam, & alia bona diſtracta damnatorum, & aliorũ, qui damnoſam interdictionẽ paſſi sũt: quando mobilium alienatio reuocetur iure pignoris: & quę, & quandiu mobilia ſub pignore comprehendantur: de actione reuocatoria in communi: de concurſu, & prerogatiuis inter actores.

PROOEMIVM.



Ecunia cætereque res illorum, qui priuilegijs adiuuari ſolent, in cõmercio tantæ dubietatis ſunt, vt quotidie recuſentur: ne ſcilicet priuilegiorum virtute reuocentur de manibus

eius, ad quem peruenerunt: quod efficit, vt infructuosæ quodammodo, & abiectæ remaneãt: adeoque vt priuilegia quantùm ad hoc in odiũ potiùs, quàm in fauorem sæpe retorqueantur: ideo cum doctores, circa actionem reuocatoriam scribentes, quamuis luculenter, huiusmodi materiam in foro admodum frequentem, & penè quotidianam, genericè tantùm tractauerint; specificè autem, nempe ratione vniuscuiusque priuilegiarij, enucleatam à nemine animaduerterim; pro meæ facultatis modulo calamum ad id apprehendi: ac ad alios quoque ostiatim ferè processi, quorum actus ob defectum integræ facultatis contrahendi reuocari etiam solent: vt sic pleniùs, ac distinctiùs agerẽ de actione reuocatoria ratione vniuscuiusq; personæ, tam propter priuilegium, quàm propter defectum contrahendi competente. Deinde alia de reuocatoria ratione causæ, siue iure pignoris, ac alia ratione personæ, & causæ, siue in communi exponenda duxi: sed ea sunt ratione causæ exposita, quæ ad præsens nostrum institutum congruunt vti frequentiora in foro: etenim alioqui reuocatoria illa diffusissima est, cùm ad eam quamplurimi tituli iuris ciuilis dirigantur, vti tractantes de condictione, reuocatione, redhibitione, restitutione, rescissione,

ven-

vendicatione, & similibus recuperatorijs. Tandemque materiam de concursu, & prærogatiuis inter actores, vti præsenti materiæ cognatam annexi. Quanquam verò volumen sit paruum, non propterea modicum laboris exegit, vti textibus potissimùm compaginatum: quorum contextus, arctus quidem, ac difficilis esse solet: compendiosus tamen: imò per eum tanquam à fonte iuris clariores, ac puriores conclusiones deriuantur. Opus igitur vt ordinatè procederem, in capita sequentia dispertij.

CAPVT I.

De Reuocatoria pro dote.

SVMMARIVM.

1 *Textus in l. ex pecunia C. de iure dot. expenditur vsque ad tot. num. 4.*

2 *Res empta ex pecunia dotali quando dotalis sit: & in num. seq.*

3 *Vtilis dicitur contractus, qui damnosus non est.*

4 *Pecuniam dotalem non reuocat mulier contra tertium, sed contra virum: & viro non soluendo existente, vendicat rem ex ea pecunia emptam.*

5 *Doti dari actionem in subsidium bonorum viri,*

ad rem à viro emptam ex pecunia dotali, quid importet dū mulier super omnibus bonis viri habet hypothecam directam: & in num. seq.
6 Res damnosa empta ex pecunia dotali, etiam si non à viro, sed ab extraneo, est dotalis utiliter, ut super ea conseruetur mulieri dominium, si vir non sit soluendo.
7 Pecuniam, & alias res dotales, recipientes functionem in genere, maritus distrahere potest.
8 Res dotales æstimatas maritus distrahere potest: & maiori ratione pecuniam dotalem soluere.
9 Res dotales æstimatæ extantes vendicantur ab uxore contra tertium: prout etiam pecunia dotalis extans, si vir non sit soluendo.
10 Doti in vendicandis suis rebus, & pecunia extantibus, quanam detur prærogatiua plusquàm illi, qui priuilegio non gaudet.
11 Dos putatiua obtinet priuilegia veræ dotis in uēdicandis rebus dotalibus extantibus.
12 Pecuniæ, aliarumq; rerum dotalium consumptarum, mulier non reuocat quantitatem, uel æstimationem.
13 Pecunia dotalis libera ad libitum viri, licitè soluitur, & recipitur.
14 Textus in l. 1. in princ. ff. sol. matrim. expenditur, & per duos numeros sequentes.
15 Doti non succurritur nisi in casibus iure expressis,
inter

inter quos facultas auocandi pecuniam, & alias res dotales consumptas non legitur.

16 *Dotis causa multis casibus postponitur.*

17 *Textus in l.pecunia C.de priuil.fisci enucleatur, & usque ad tot.num.23.*

18 *Fiscus posterior excluditur tam ab expressa, quã à tacita hypotheca priuatorum anteriori.*

19 *Fideiussore excusso deuenitur ad possessores rerum debitoris.*

20 *Textus in l.pecunia C.de priuil.fisci loquitur cũ fiscus est anterior, & excussis bonis principalis debitoris: nec extenditur ad dotem: sed locum obtinet in solo fisco, & in solo casu, de quo loquitur.*

21 *Priuilegia quando restringenda, uel amplianda sint.*

22 *Creditor cum priuilegio præfertur inter alios in actione personali, etiam si alius sententiã obtinuerit: non tamen reuocat quod solutum est.*

23 *Fiscum, & dotem pari passu ambulare, quomodo procedat, & quando secus.*

24 *Dotem in concursu præferri, quomodo procedat: & in num. seq.*

25 *Doti datur tacita hypotheca. quæ præfertur contra aliam tacitam licet anteriorem: sed super bonis uiri tantùm, & eorum, qui dotare tenentur, vel dotem promiserunt: contra alios uerò non datur,*

nisi

nisi rei uendicatio, si penes eos res dotales extent: si autem non extent, dos præfertur creditoribus in actione personali.

26 *Doti quando detur auocatio pecuniæ, ac aliarum rerum dotalium extantium, & consumptarũ.*

27 *Pecunia dotalis cum soluitur recusari non potest, ubi alioqui libera sine uinculo soluitur.*

FVndamentum quęstionis quantum ad auocationem pecuniæ, rerumque aliarum dotalium, pluribus legibus consistere videtur, quæ sũt l.ex pecunia C.de iure dot.l. 1.ff.sol. matrim.l.pecunia C.de priuil.fisci l. 2. eodẽ tit. &aliæ: ad quarum explicationem progrediamur.

1 Quantum attinet † ad l. ex pecunia C. de iure dot. habetur ibi rẽ pecunia dotali emptam, nõ fieri dotalem, ideoq; mulieri actionẽ conseruari ad dotẽ repetendã per hęc verba; *Ex pecunia dotali fundus à marito tuo comparatus, non tibi quæritur, cùm neque maritus uxori actionem empti possit acquirere, & dotis tantùm actio tibi competit*, &c. cui conuenit l.fin.C.de seruo pign. dato manum. quod sanè sic acci-
2 pimus † vbi emptio fit à viro sine consensu, & vtilitate vxoris, secundùm glo.in ead. l.ex pecunia: nam si talis consensus, & vtilitas con-

concurrant, pretium succedit loco rei,& res loco pretij l.ita constante, & ibi glo. cum l. seq.ff.de iure dot.l.si mulier ff.de pact.dotal. vel saltem si adsit consensus absque damno l.cum maritus eod.tit.ibi *si deteriori loco dos nõ*
3 *esset*, & glo.in eadem l. ita constante: vtilis† enim dicitur contractus, qui damnosus non est l.in pupillo ff.de solut. sicque tunc pretiũ fauore dotis, non reuocabitur,quia res empta, dotalis loco pecuniæ remanet,vt ex eisdẽ iuribus, & in l.res quæ, cũ glo.ff.de iure dot.

Veruntamen hæc requiruntur, vt res,quæ emitur, dotalis efficiatur: sed in discursu nostro superflua sunt: siquidem, & si res non efficeretur dotalis vti damnosa, & sine vxoris consensu empta; nullum propterea priuilegium daretur auocandi pecuniam dotalem à tertio, siue à venditore, qui eam recepit, nisi vxor in sui fraudem solutam fuisse ostenderet: tunc enim omnibus competit auocatio: de qua fraude infra cap.9.Cæsares enim in cit.l.ex pecunia,non aliud Rufinæ rescrip-
4 serunt,nisi vt ipsa contra virum tantùm,† qui soluit, regressum haberet: vt ostenditur in casu fortiori, vbi si maritus euadat non soluendo; non tamen vxori datur actio reuocãdi pecuniam solutam contra tertium,sed vẽdi-

dicandi rem emptam in subsidium dotis, quā à viro recuperare nō potest l. vxor marito ff. de donat. int. vir. & vx. cū glo. æstimatæ, in fine, in l. in rebus C. de iure dot. & Cyn. & Gothofr. in d. l. ex pecunia eod. tit. Vnde obi-
5 ter † notandum duxi, quòd si quæratur, ad quid eiusmodi actio subsidiaria datur mulieri, si ipsa directam hypothecam habet in omnibus bonis viri, vt in l. vnica §. & vt pleniùs C. de rei vx. actione, & in l. assiduis C. qui pot. in pign. respondebitur id esse magni effectus,
6 quoniam res empta † ex pecunia dotali, & si nō fuerit effecta dotalis, directè vtpote damnosa vt diximus; consideratur tamen dotalis vtiliter, secundùm d. l. vxor marito ff. de donat. int. vir. & vx. glo. & Bart. in l. si vt proponis C. de rei vendic. & glo. fin. in fine in l. si patruus C. commun. vtr. iud. etiam si non à viro, sed ab extraneo empta fuerit, secundùm Bald. in l. in rebus sub num. 3. C. de iure dot. per l. fin. C. de pign. quod efficit, vt super illa re vxor vtili rei vēdicatione ratione dominij, nedum possessorem excludat; verū etiā eius, ac sui viri creditores quantumuis anteriores in subsidium viri, qui soluendo non sit, vt per hæc eadem allegata, cum d. l. in rebus: quam sanè prærogatiuam non consequeretur

tur mulier, si sola hypotheca, quam habet experiretur, vt notat Barthol. Socc. cons. 2 24. eleganter, & subtiliter n. 1. vers. & si dica tur.

7 Præterea cum sit pecunia † de rebus, quæ in genere functionem, siue promiscuum vsũ recipiunt, vt in l. 2. §. mutui ff. si cert. pet. cũ l. 1. §. mutui ff. de obligat. & act. & §. mutui Inst. quib. mod. re contr. oblig. conuenit Caij decisio in l. res in dotem ff. de iure dot. qua sancitum est, vt eiusmodi res in dotem datas, maritus valeat pro arbitrio distrahere, & soluto matrimonio alias res eiusdem generis, vel qualitatis restituere teneatur, vel ipse, vel heres eius. Itaq; hac sola periodo habemus os clausũ, vt nunquam pecunia dotalis auocanda sit, vtpote à marito lege permittente distracta: quemadmodum silentiũ nobis imponit Imperat. in l. quoties C. de iure dot. & Vlpian. in l. plerunque ff. eod. vt

8 res dotales † æstimatæ, cùm censeantur tanquam à viro emptæ, alienari ab eo possint, vt etiam subdit glo. in l. in rebus sub verbo, æstimatæ, & sub verbo, vsucapionem C. de iure dot. & glo. 1. Inst. quibus alien. licet. Si ergo species ita æstimatas maritus distrahere potest; eò liberiùs pecuniam, quæ ad commercium, siue alienationem disposita est cap. eij-

ciens 88.dist.& absque hominis pacto de sui natura æstimata manifestatur l.1.ff.de contrahenda empt.

9 Et quamuis † species dotales æstimatæ, quæ alienatæ reperiuntur, si extent, vendicētur ab vxore in subsidium nempe cum vir sit non soluendo, vt habetur in glo. sub verbo æstimatę in fine, prox.citata per l.vxor marito ff.de donat.inter vir.& vx.nihilominus nō nego idem in pecunia, vt si extet, eadem ratione, tanquam species vendicetur: extans enim vti species habetur, puta quæ in corpore certo demonstrari potest absque vlla dubietate immixtionis cum alia pecunia, vt in sacculo, vel aliter signata l.talis §.item, & ibi glo.ff.de leg. 1. l. si sacculum ff. depositi, cum similibus: quem casum perrarò accidere opinor, quia pecunia lubrica est instar anguillarū, nam seruando seruari non potest, vt scimus, & legimus in l.lex quæ tutores §. lex enim C.de admin.tut.

10 Nec est omnium idem † ius quantum ad auocādam pecuniā, & alias res extantes, quia notabilis differentia est inter priuatum absq; priuilegio, & mulierem pro dote: quādoquidem ille auocat pecuniam extātem tantummodo quando ipso inscio, vel inuito soluta

fuit

fuit l.si alieni ff.de solut.l.si is C. depositi,cũ concordantib.hæc autem indistinctè auocat viro, vel eius hęreditate non soluendo existente l. in rebus, cum glo. ibi æstimatæ, in fine C. de iure dot.& in hoc totum priuilegium auocationis pro dote consistit:& quidẽ amplissimum est, cum pecuniam, & alias res dotales, dummodo extent, vti proprias, vel quasi proprias mulier à quocunque,etiam iusto possessore auocet in subsidium viri, exclusis omnibus viri creditoribus, quantumuis anterioribus,vt in eod.textu,& glo.quod
11 etiam † in dote putatiua locum obtinere sancitum est in l.si cum dotẽ §. fin. ff. soluto matr. & in l.2. §. si sponsa ff.de priuil.credit.

Cæterùm præter pecuniam, & res extantes, quantum ad consumptas,de quibus pręcipuè loquimur, firmatur nostra conclusio, secũdùm tex.in ead.l.in rebus per verba ibi, *si tamen extant*,à contrario sensu accepta, vt
12 scilicet † nulla detur auocatio, si res non extat: exceptio enim firmat regulam in contrarium §. vt autem lex, Auth.de non alienan.l. quæsitum §.idẽ respondit,vers. denique ff.de fundo instr.Imò denegatur auocatio rei consumptæ,hoc est eius quantitatis vel ęstimationis, etiam ratione d.l.in rebus, à contra-

rio sensu attenta: mulier enim auocat rem extantem, quia eius dominium, vel quasi retinet, vt expressè legitur ibi: sed re consumpta non conseruatur, neque dominium l. si is §. aduersus C. depositi l. si sacculum ff. eod. l. si alieni ff. de solut. neque hypotheca l. pignus, in fine C. de pignerat. act. l. sicut ff. quib. mod. pign. vel hyp. solu. neque lex aliqua specialis reperitur, quæ ad consumptæ rei æstimationem auocandam pro dote conseruet priuilegium, nisi actionem personalem, quæ communiter omnibus priuatis absque priuilegio competit, puta si in fraudem consumpta res
13 fuisset, vt infra cap. 9. neque † fraudem committit recipiens, eò quòd sciat pecuniã, quã recipit, esse dotalem, si eam recipiat à viro, quippe qui eam licitè soluere potest ad sui libitum, vtpote æstimatam, & ad commerciũ, siue alienationem dispositam, vt nuper dictum est.

14 Venio † ad l. 1. ff. solut. matr. in scholis frequenter explicatam propter verba ibi; *dotis causa semper, & vbique præcipua est*: non enim verba illa denotant, vt semper dos priuilegium obtineat, sed vt semper sibi concessis priuilegijs fruatur, nempe ante, constante, & soluto matrimonio, secundùm glo. ibi: & va-

variè interpretantes, moderantur etiam il-
lud ſemper ſcribentes ibidẽ, & alij: & ſi verba
illa vniuerſaliter, & abſque fræno intellige-
rentur, temeraria eſſent: quia minores etiam,
qui maximè omnium priuilegijs fruuntur, nõ
ſemper reſtituuntur, ſed prudenter eorum
priuilegia temperantur l. & ſi ſine l. verum §.
ſciendum, & l. quod ſi §. non ſemper ff. de
minor. l. cum plures §. 1. ff. de admin. tut. imò
conſtat mulieri, nedum vti mulieri non ſuc-
curri, niſi in caſibus iure expreſſis l. fin. C. de
iuris, & facti ignor. l. regula ff. eod. verùm
15 neque † pro dote quod ſingulare eſt in l. aſſi-
duis §. quis enim C. qui pot. in pign. vbi non
legitur in omnibus, ſed in multis, quæ legi-
bus inuenta ſunt, cauſam dotis habere priui-
legium: eſt igitur impoſſibile quòd verba, ſu-
pradicta ad reuocationem pecuniæ aliarum-
que rerum dotalium alienatarum, & con-
ſumptarum porrigantur, quoniam id legibus
inuentum non reperitur: imò ſi dos ſemper
priuilegium obtineret; fruſtrà eius priuilegia
numerarentur: & quidem cum omnia priui-
legia dotalia perquiſiuerim apud glo. Paul.
de Caſtro, & alios in d. l. 1. ff. ſoluto matr. &
apud Conſtant. Rogerium, Ioan. Campegiũ,
Bald. Nouellum, Vinc. Paleottum, qui de

do-

dote scripserunt, eiusque priuilegia ibi numerauerunt: & denique apud Bapt. de Sãcto Blasio, qui opusculum de priuilegijs dotalibus edidit, & in principio dixit omnia iura ciuilia, & pontificia peragrasse, indeque trecẽtaquinquagintaquatuor priuilegia excerpsisse; minimè priuilegium auocandi res, & pecuniam huiusmodi alienatas, & consumptas inuenire potui.

Quinimò nedum dos non restituitur, nisi
16 in casibus iure expressis; verùm etiam † postponitur multis casibus, quorum decem succinctè referre non erit superuacuum, vt pleniùs satisfiat: prout aliquos ex eis recenset glo. in l. fin. C. qui pot. in pign. in verbo, habeant, & in verbo licèt, circa principium, & in l. vbi adhuc C. de iure dot. in verbo, qui nõ potiora. Causa enim funeris præfertur causæ dotis l. impensa, cũ duab. legib. sequentib. ff. de religios. Item causa impensarum pro infirmitate, nam hæc æquiparatur causæ funeris l. legatum C. de religios. l. in restituẽda, & ibi Bald. & Salyc. C. de petit. hæred. Alex. & Ias. in l. fin. §. in computatione, in princ. C. de iure delib. vt pleniùs infra cap. vltimo. Item causa primipili l. satis C. in quib. caus. pign. vel hyp. tac. contr. l. vtilitas C. de primip. lib. 12.

lib. 12. hoc est annonę militaris, vt Duaren. in tit. de cōdict. ex lege, Alciat. in tit. de primipilo, & in l. 1. n. 7. ff. solut. matr. Cuiac. in l. solita C. de cohortal. lib. 12. & Gothofr. in l. 2. C. de priuil. fisci. Item causa fisci anterioris l. 2. C. de priuil. fisci, & l. dotis C. de iure dot. Item causa filiorum anterioris matrimonij pro quantitate, quæ fuit dos materna, contra dotem nouercæ l. assiduis §. exceptis C. qui pot. in pign. & Auth. vt exact. instante. Item causa creditorum, quorum pecunia, militia fuit empta, auth. quod obtinet C. de pignor. Item causa extraneorum possessorum rerum dotalium æstimatarum, quæ à viro alienatæ fuerunt, & extant: quandoquidem excluditur mulier ab his possessoribus, non excusso priùs viro l. in rebus cum glo. ibi in verbo, æstimatæ, in fine C. de iure dot. & hic est casus fortior illo, quem ponit glo. in l. vbi adhuc eod. tit. in verbo, qui non potiora, in fine. Item causa creditorum, in quorum fraudem dos à dotante fuit constituta, vt eam reuocēt à dotata, quamuis ipsa fraudem ignorauerit l. si fraudator §. si à socero ff. quæ in fraud. cred. Item causa filiorum ad reuocādam dotem inofficiosam vsque ad quantitatem legitimæ sibi debitæ in bonis dotantis parentis

l. 1.

l.1.C. de inoffic. dotib. Item causa cuiuslibet creditoris anterioris cum expressa hypotheca: vt moribus receptum est auctoritate glo.magnæ, vers.tu dic tertiò,in cit. l.assiduis,per textus, & Bulgar.ibi allegatos: Vides ergo manifestè,ratione, ac auctoritate, dictionem supradictam, semper, in d. l.1. ff. sol.matr.non esse generaliter accipiendam, vt diximus.

17 Venio ad l.pecunia C. de priuil.fisci, † cũ qua concordat l.deferre §. fin. cũ tribus legibus sequentib.ff.de iure fisci,qui sanè textus, cum pro fisco loquatur, potiùs explicandus esset in cap.sequenti, sed hic magis vrget:legitur enim ibi, quòd fiscus creditor valeat auocare pecuniam priuato creditori à communi debitore solutam, etiam condictione ex lege, si consumpta sit,vt glo.ibi:quod quidem magnam patitur limitationem, &ad dotem nullatenus extenditur, non obstante glo.quæ in locis infra citandis,dixit idem esse in alio priuilegiato,vt ex sequenti discursu palam erit: est enim limitatio, quia non semper, sed circumspectè id obseruandum esse constat, nempe iusta causa intercedente, vt in eod.textu exprimitur: puta si communis debitor priùs contraxit cum fisco,

quàm

18 quàm cũ priuato, vt glo.ibid.& bene, quia † si fiscus sit priuato posterior non præfertur l.res §.1.ff. de iure fisci l.si pignus, & l. fin.§. fin.ff.qui pot.in pign.l.si fundum C.eod.quã-uis priuati tacita sit hypotheca, & fisci expressa l.1.C.rem alien.geren.& glo. magna, vers.nam & priuatus in l.assiduis C. qui pot. in pign.& cum fiscus posterior non præferatur ante solutionem, multò minùs auocabit solutum, iuxta regulam tex. in l. cui pacto ff. de seruis export.& contra, cùm priuatus anterior excludat fiscum ab exactione, multò magis ab auocatione, vt ex l.non debet ei ff. de reg.iur. sed iusta causa non est ex hoc solùm, quòd fiscus sit anterior: quia requiritur quoque, vt principalis debitor non sit soluẽdo, vt eo discusso, in subsidium fiscus auocet pecuniam ab eo solutam, vt aperiunt textus in l.Moschis ff.de iure fisci,& in l.2.C.de debitor.ciuit.lib.11.imò in fortiori casu, textus in l.1.C.de conuen.fisci debitor. lib.10. vbi ille, qui res debitoris fisci emit, tenetur etiã fisco vti fideiussor eiusdem debitoris, & tamen tenetur fisco in subsidium debitoris: si ergo fideiussor tenetur in subsidium, maiori ratione tenetur in subsidium ille tertius, qui penes se pecuniam debitoris fisci habet, cum

19 possessor post † fideiussorem teneatur §. sed neque Auth. de fideiussor. & tandem faciũt l. 3. §. multa ff. de iure fisci l. non priùs C. quãdo fiscus, vel priuatus, & l. 1. C. de condict. ex lege: imò hic vltimus textus allegatur à glo. in ead. l. pecunia, & in l. deferre §. fin. vti
20 explicator earundem legum. Duo igitur † copulatè requiruntur, vt casus hic auocationis pecuniç pro fisco locum obtineat, nempe vt fiscus sit anterior creditore, cui solutio facta fuit, & vt principalis debitoris facultates discussæ fuerint.

Dixi quoq; casum istum auocationis nullatenus esse de fisco ad dotem extendẽdum, quia textus in d. l. pecunia, & concord. fauẽt fisco, vt priuilegium, non vt ius commune, vt patet in ead. l. pecunia, ibi *extraordinario iure*, & ex titulo ibidẽ intonante, *de priuilegio fisci*: sicque præcisè vigent in solo fisco, & in solo casu, de quo loquuntur: quia priuilegia
21 † nullam admittunt extẽsionem l. 2. C. de legib. cap. porrò, extra de priuileg. imò cum sint iuris rationi dissona l. ius singulare ff. de legib. ne ad consequentiam quidem protrahenda sunt l. quod verò, eod. tit. l. quod contra ff. de reg. iur. cap. quæ à iure cõmuni eod. tit. in 6. glo. fin. in l. 2. §. si sponsa ff. de priuil.

credit.

credit. ne aliàs in odium publicæ vtilitatis retorquerentur, l.2.in fine C.de priuil.scholar.lib.12.& axioma,quòd priuilegia sint latissimè interpretanda, vt in l.3.C.de constit. princ.& in cap.olim, extra de verb.sign. intelligitur solùm quantùm ad ampliandam auctoritatem, & concessionem principis cōcedentis, & in eius præiudicium, iuxta l. hac saluberrima C.de prępos.agēt.in reb.lib.12. non verò in præiudicium tertij l.nec auus C. de emancip.liber.l.2. §.si quis à principe ff. ne quid in loco publ. neque in præiudicium iuris communis,quod priuilegijs præualet §. quia verò verisimile,in fine, Auth.de non alien.glo. fin. in l.3. C. de const.princ.& glo. fin. in fine, in l.1. C.si aduers. vend.

Pręterea quamuis glo.in d.l.pecunia, sub uerbo,causa,& in d.l.deferre §.fin.sub verbo, auferendam, & in l. priuilegia ff. de priuil. cred.sub verbo,ex causa,in princ. & in l. sed an hic ff. quod cum eo,sub verbo,prioris,dixerit alijs priuilegium habentibus, eandem competere actionem, quæ competit fisco auocandi pecuniam contra tertium licèt consumptam; nihilominus si ita non dixisset,certè meliùs esset, & practicorum intellectus in hoc inuoluti non essent: quia leges directè

contrarias habemus in alijs, qui priuilegijs adiuuantur: quandoquidem pupillus contra tertium non auocat l.non omnis §. si pupillus, vers. quapropter ff. si cert.pet.neq; mulier pro dote, nisi res extantes l. in rebus C. de iure dot. quod nota: imò glo.mota fuit auctoritate eiusdem l.sed an hic.ff.quod cum eo,& l.ex facto §.fin.ff.de pecul.quibus nullo modo communicari potest casus dicti textus in l.pecunia,cum sit admodum diuersus quo-
22 niam † hi duo textus non statuunt, vt creditor cum priuilegio pecuniam solutam reuocet, vt statuitur in l.pecunia: sed vt soluendã impediat, & præferatur: prout clarè legitur in eod. §. fin.& ibi in glo.in §.planè, sub verbo dabitur: ita sentit Fulgos.in ead. l. pecunia, & in l.vnica n.3.C.de priuil.dot.Neque nos cõfundat litera eiusdem l.sed an hic, vbi legitur ita; *rectè dicetur occupantis meliorem esse conditionem, nisi si quis priuilegiarius veniat*, &c. quibus sanè verbis aliquis crederet priuilegiario creditori dari reuocationẽ pecuniæ debitoris, ab alio creditore occupatæ:quia occupare non significat pecuniam exigere, sed sententiam obtinere: cum enim in eo textu agatur de actione peculij, quæ personalis est, vt in §. in personam Instit.de

action.

l. ex facto § fin.

action.dicunt illa verba, quòd inter creditores in actione personali vtpote æquales, præferatur ille, qui occupauit iuxta l.inter eos ff. de re iudic. ille scilicet, qui sententiam priùs obtinuit, l.si verò ff.de pecul. l. si quis à multis ff.de noxal. act.glo. 1.in l.pluribus ff. de procurator.sed si adsit inter eos creditor cũ priuilegio; ipse occupanti etiam prçferatur. Itaque cùm l.sed an hic, & l.ex facto à glo.citatæ, non loquantur de pecunia soluta reuocanda, sed de priuilegiarijs præferendis ante solutionem; non concordant cum d. l. pecunia, vt iam dictum est.

Et quamuis in ead. l.ex facto §.planè, legatur dari pupillo reuocationem pecuniæ consumptæ; hoc vim nõ infert: loquitur enim textus ille de reuocanda pecunia contra eũ, qui cum pupillo, vel cum tutore falso, vel vero immediatè contraxit, non autem contra eum, cui vlteriùs fuit soluta, vt in d. l.nõ omnis §.si pupillus, vers. quapropter ff. si cert. pet. sicque casus hic non conuenit cum d. l. pecunia, vbi contra tertium fisco datur priuilegium auocãdi pecuniam. Et insuper hoc non omnibus priuilegiarijs, sed pupillo tantùm, & eis qui pupillo exæquantur concessũ est, vt patet ex ratione assignata in eod. §.pla-

nè,

nè,nimirum quia pecunia soluta fuit à tutore falso, qui eam soluere non poterat,quemadmodum, neque tutor verus soluere potuisset, vt ibi legitur: in dote autem secus est, nam solutioni pecuniæ consentire potest tam vir cum vxoris consensu, quam vir solus, vt supra plenè deductum est.

Nec admittenda est opinio, quòd eadem l.pecunia, extendatur ad dotem, ex eo quia fiscus, & mulier ęquis passibus ambulent,virtute l.2.C.de priuilegio fisci: siquidem hic
23 textus † nullo modo de fisco ad dotem priuilegia extendit, sed fiscum doti æquiparat in vno tantùm, nempe in hypotheca tacita, vt ambobus cum eadem hypotheca concurrentibus, temporis prærogatiua seruetur inter eos, vt docet litera ibi. Itaque hinc non priuilegiorum extensionem, sed extinctionẽ colligimus: cum ratione hypothecæ, fiscus, & mulier, amissis priuilegijs, ad ius commune redigãtur: aliàs enim si per omnia hi duo exæquarentur, vtrique eadem competerent priuilegia, & tamen illa diuisa,atque diuersa in vtroque leguntur, vt ecce; fiscus doti præfertur in causa primipili l.satisC.in quib. caus.pign. vel hyp.tac.l.vtilitas C.de primipilo lib.12.mulier pro dote præfertur anterio-

riori creditori tacitam hypothecam habenti l.assiduis C.qui pot.in pign. cum glo. magna ibi, nempe super bonis viri,& promittẽtium dotem, & eorum, qui dotare tenentur, vt paulò inferiùs habebimus: fiscus secus l. vnica C. rem alien. gerent. & ead. glo. in l.assiduis: ita discurrit Gothofr. in ead. l.2. Item fiscus nunquam est creditor absq; hypotheca l.aufertur §. fiscus ff. de iure fisci l. fin. C. vectig. noua,& glo. in l.bonis ff. de priuil.cred. per tex. in l.1. & 2. C. in quib. caus.pign.vel hyp. tac. mulier autem præter virum, & promittentes dotem, & eos, qui dotare tenentur; contra alios non fruitur, nisi priuilegio inter actiones personales, vt etiam inferiùs deducetur. Vnde nota inter priuilegia fisci, & dotis nullam dari communicationem. Quinimo esset argumentari contra principia certa, quia pro dote habemus textum expressum in l.in rebus C.de iure dot. vt res dotales extantes tantùm auocari possint, vt supra deductum est, & modò iterum deducetur infra. Reiectæ ergo restant oppositiones, ne casus auocationis in d. l. pecunia, vllo modo in dote locum sibi vendicet.

Denique ne termini confundantur; id, quod

quod vulgariter, etiam ore rusticorum, & mulierum circumfertur, nempe dotem ha-
24 bere priuilegium inter creditores;† quinque modis intelligendum est. Primo, vt dos prę-feratur creditoribus in actione personali, vt in l. dabimusque ff. de priuil. credit. de personali enim loquitur hic textus, vt glo. ibi, & glo. in l. 2. §. si sponsa eod. tit. & ipsemet totus titulus: sed hoc vt præferatur ante, non post solutam pecuniam, vt paulò superiùs diximus per l. ex facto §. fin ff. de pecul. & concord. Secundo modo, vt habeat hypothecam tacitam, & præferatur contra aliam tacitam licèt anteriorem super bonis viri, vt in l. assiduis C. qui pot. in pign. cum glo. ibi, & glo. in l. vnica C. de priuil. dot. ac etiam super bonis promittẽtium dotem, quamuis ipsamet mulier promiserit, ac fideiussorum, & eorum, qui dotare tenentur l. vnica §. & vt pleniùs C. de rei vx. act. iuncta d. l. assiduis, §. ad hæc: sed hoc etiam ante solutam pecuniam, vt patet ex litera eorundem textuum. Tertio modo, vt præferatur contra omnes creditores in rebus suis dotalibus extãtibus, vt in l. in rebus C. de iure dot. vel in rebus emptis pecunia dotali similiter extantibus, vt eas ad se reuocet in subsidium viri qui sol-

uendo

uendo non ſit, ſi dotes æſtimatæ ſint, vt in l. vxor marito ff. de donat.inter vir.& vx. ſed directò ſi ſint inæſtimatæ, vt ff. & C. de fundo dot.& l.vnica §.& cum lex C.de rei vx.act.ita glo. æſtimatę in d.l.in rebus: verùm non de rebus, & pecunia extantibus, ſed de conſumptis loquimur, quæ contraria ratione eiuſdẽ textus in l.in rebus non reuocantur, per verba ibi; *ſi tamẽ extãt*, vt diximus. Et ex his tribus
25 præfatis modis † nota pro dote, ſiue tradita reſtituenda, ſiue promiſſa præſtanda; dari tacitam hypothecam, & præferri contra aliam tacitam licèt anteriorem, ſed ſuper bonis tãtùm viri, & promittentium dotem, & fideiuſſorum, & eorum, qui dotare tenentur: at ſuper bonis aliorum nequaquam prælationẽ dari, niſi ſuper dotalibus, quæ penes eos reperiuntur extare: ſed vbi non extant; inter perſonales tantùm præferri dotem. Quarto modo, vt dos præferatur ijs, quorum pecunia res empta, vel refecta eſt §. his conſequens Auth. de æqual.dot.& hoc etiam antequam pecunia ſoluatur, vt patet ibidem ex litera. Quinto tandem modo, vt in ambiguis, ſiue dubijs, dotem præferri ſit melius l.in ambiguis ff.de iure dot. cum ſimilib.quod neque ad rem noſtram pertinere dignoſcitur: huius

enim quæstionis, certam iuris auctoritatē, non verò ambiguam cōclusionem relinquo: & facit ad omnes istos casus l. 1. in princ. ff. soluto matr. quæ ad priuilegia iure specificata refertur, vt supra deductum est.

26 In summa quantùm † ad auocationem pecuniæ, rerumque aliarum dotalium, mulier contra virum actionem habet, sed contra tertium parum illi succurritur, nec vllam legē m pinguiorem, fauorabilioremque in toto corpore iuris obtinet, quàm cit. l. in rebus C. de iure dot. quæ generaliter loquitur, & ad eam hæc tota quæstio reducitur: vt si pecunia, & res æstimatæ sint, & extent; auocari possint in subsidium, nempe si maritus non sit soluendo, vt glo. ibi, in verbo, æstimatæ, in fine, per d. l. vxor marito ff. de donat. int. vir. & vx. si verò consumptæ sint, tunc iura omnia resistunt, vt neque in subsidium, neque modo aliquo, auocatio illarum permittatur: idque solido iure firmatum ostendimus. Et consequenter

27 solidè quoque † concludimus huiusmodi pecuniam, & si vti dotalis offeratur, sed alioqui libera sine vinculo; nequaquam recusari posse, cum sit in potestate recipientis, eam consumere, vel cum alia immiscere statim, vt ab omni reuocationis periculo liberetur.

Prę-

Preter hęc omnia dicta de reuocatoria, ratione iuris specialis pro dote; videnda sunt ordinaria iura reuocatoria infra cap. 9.

C A P. I I.

De Reuocatoria pro fisco.

S V M M A R I V M.

1 *Fiscus pecuniam, aliasque res suas, quas alienauit, non reuocat licet extent.*

2 *Fiscus vno tantum casu reuocat pecuniam solutam.*

3 *Fiscus præfertur mutuanti ad rem construēdam, reficiendam, & emendam, & alijs in actione personali.*

4 *Fiscus nunquam est creditor absque hypotheca.*

5 *Fiscus non restituitur aduersus gesta per principē, vel eius vicarium: sed aduersus gesta per curatores, seu procuratores principis.*

6 *Fiscus canis mordens ante latratum.*

7 *Curator principis ab alijs differt: & qualiter iure minoris restituatur princeps aduersus gesta per curatorem, siue per alios ministros.*

8 *Fiscus nunquam calumniari, sed potius vinci permittitur sub bono principe.*

FIsco pecuniam, aliasque res suas extantes, vel non extantes, reuocare non permittitur: † quandoquidem, & si pluribus fruatur
1 priuilegijs, quę alijs non conceduntur, tamē illi non succurritur, nisi vbi iure id exprimitur: quia regulariter priuatorum iure vtitur l. item veniunt, §. ait senatus, & ibi glo. in publica ff. de petit. hæred. l. de contractu, & ibi glo. fin. C. de resc. vend. l. 1. & ibi glo. pertinet C. de petit. hæred. imò expressum est, vt teneatur seruare contractum suum l. ratas, & cit. l. de cōtractu C. de resc. vend. l. 1. & 2. C. ne fiscus rem, quam vend. lib. 10. quatū ergo attinet ad reuocandam pecuniam solutam, nullum consequitur priuilegium: vno casu tamen excepto † qui exprimitur in
2 l. pecunia C. de priuil. fisci, & in l. deferre §. fin. cum tribus legib. sequentib. ff. de iure fisci, vbi habetur, quòd si communis debitor, fisci, & priuati, soluat priuato; fiscus auocet pecuniam ab eo, saltèm condictione ex lege si consumpta sit: quæ sanè leges nullam recipiunt extensionem, sed clauduntur in sua specifica forma, nempe in solo fisco, & in solo casu, de quo loquuntur, & iusta causa intercedente, si scilicet debitor non sit soluēdo,

do,& fiscus priuato sit anterior, vt plenè cap. primo deductum est. Itaque præter casum istum auocationem nunquam fisco permitti concludo,quia nedum nullo iure cauetur, vt obseruat Cyn.in l.respublica sub n. 1. C. ex quib.caus.maio.verùm etiam contrariũ prouisum habemus, vt cõtractum seruare teneatur, vt modò dictum est: & quamuis connumeretur inter eos, qui priuilegio gaudent, vtpote comprehensus in tit.ff.de priuil.cred. vt ibi in l.quod quis; tamen id importat, vt
3 præferatur† credenti ad rei constructionem, refectionem, uel emptionem, ut in eod. tex. ac alijs creditoribus in actione personali: de ea nanque actione loquitur idem titulus, ut ibi glo.dicit in l.2.§.si sponsa, & glo. in l. dabimusque §.1.cuius quidem priuilegij uirtute non auocat pecuniam solutam, sed soluendam impedit, & præfertur,ut in cap. primo deductum est:nec est mirum si hoc fruatur priuilegio cõtra personales actiones: quia
4 fiscus † nunquã est creditor absq;hypotheca, ut glo. in l.bonis ff.de priuil.cred. per tex. in l.1.& 2. C.in quib. caus.pign. uel hyp.tac. prout habetur etiam in l.aufertur §. fiscus ff. de iure fisci,& in l.fin.C.uectigal.noua.
5 Veruntamen intelligamus † fisco restitu-

tio-

tionem,siue auocationem pecuniæ denegari, quando princeps immediatè contraxit, vel ad id auctoritatem specificè præstitit: quia princeps integra facultate contrahendi, atque donandi fruitur, vt in l.2.& 3. C. de quadriennij præscript.peritus est,vt in l.penult.C.de ijs quib.vt indign. imò præest & ipsis curatoribus,cũ sit summus magistratus, vt in l.si imperialis C.de legib.& subditorum omnium pater, vt in §.fin. Auth. neq; virum, & omnia iura in scrinio sui pectoris cõtineat, vt in l.omnium §.1.C.de testam.quemadmodum Cyn. in d.l.respublica,sub n.1. imò etiã contractus cum principe celebrati,legis vicem obtinent l. donationes, quas diuus C.de donat.int.vir.& vx. Ita quoque si contrahat ille, qui principis potestatem immediatã exercet, l.1.C.de offic.vicar. ibi;*& sacræ cognitionis habeat potestatẽ*,&c.&Chassan.in catal. glor. mũdi par.7.consid.10:vt est prorex in hoc Regno Neapolis, qui potest omnia, quæ ipsemet Rex,à quo cum clausula,alter ego,constituitur:de quo Surg. de Neap. illustr. c.22. n.11. Cæterùm alij bona principis administrantes, dicuntur curatores l. bene à Zenone C.de quadr.præscript.& quæ per curatores geruntur, iure minorum resti-

tuun-

tuuntur, l. qui neque §. 1. & l. si prædia ff. de reb.eor.vt infra cap.6.siue, vt aliàs nuncupantur procuratores principis: & aduersus gesta per eos restitutio principi datur vbi læsio inest l. 1. & 2. ff. de offic. procur. Cæsar. cautè igitur cum his negotiãdum est, & principis placitum procurandum, vt in ead. l. 1. vel saltèm placitum illius, qui principis auctoritatem immediatam exercet, secundùm iam dicta: ne aliàs violentiæ locus detur ad gesta rescindenda: quia fiscus priùs vendicare, atque compellere, deinde litem intonare, pro licito, & cõsueto sibi assumpsit:
6 ita vt † canis mordens ante latratum nuncupari mereatur. Et vbi supra diximus fiscum teneri ad obseruandum contractum suũ; militat id in contractu iure perfecto, vt expressum est in d.l.de contractu, & l. ratas C. de rescind. vend. sicque in illo contractu, qui non continet læsionem: perfectum enim id habemus, quod est ex omnibus suis partibus firmũ l. 1. ff. de orig. iur.
7 Sed constat ex dictis, † fisci curatorem, ab alijs differre: est enim curator principis absentis, non præsentis: siquidem præsens satis, superq; bona sua disponere valet, secundùm supra deducta. At curatores aliorum, absen-
tiam,

tiam, & præsentiam protegunt l. si curatorẽ C.de in integ.rest.min. Restitutio autem,quę fisco datur, multifariam competit: quandoquidem,aut agit de rebus quæsitis recuperãdis; & non nisi triginta, vel quadraginta annorum spatio amittit actionem, vt in l.omnes, & l.competit C. de præscript. trig. vel quadrag.annor.ex quo actio competere cœpit l.sicut §.1. eod.tit. aut agit de rebus sibi delatis apprehendendis, & actionem amittit spatio viginti annorum,præter casus, in quibus minora tempora specialiter pręfinita sũt l.in omnibus ff. de diuers.& tẽpor.præscript. & quidem viginti annorum spatio pręscribitur actio publicandi bona delinquẽtium l.2. & 3.ff.de requir.reis, ex die tamen, quo publicè innotuerit causa, quare bona fisco debeantur l.annus eod.tit.sed minora tempora ad actionem fisci perimendam, sunt in casu textus in l.in cognitione ff.ad Syllan. & in l.intra quatuor ff.de diuers. & tempor. præscript. Puto tamen, quòd si gesta per ministros, innotescant principi; ex tempore quo innotescunt, quadriennio, vel quinquennio firma, & irretractabilia remanere: exemplo quadriennij,vel quinquennij,quæ minori ex tempore, quo fit maior dantur aduersus gesta

sta per tutorem, vel curatorem, vt infra c. 5. vbi perquire vsque ad totum num. 5. cùm princeps minori exæquetur vbi per suos ministros contrahit, vt deductum est.

Hæc quantùm ad actionem reuocatoriam extraordinariam fisco competentem: quantùm verò ad reuocatoriam ordinariam discurritur infra cap. 9. & vide, quæ habentur infra cap. 7. de reuocandis bonis damnatorum in fraudem fisci alienatis.

8 Præterea † siue agatur cum principe, siue cum eius ministris; nunquam fiscus calumniari, sed potiùs vinci permittitur sub bono principe, qualem Dei beneficio reueremur inuictissimum Regem nostrum Carolum II. maiorum suorum, Regum, & Imperatorũ longissimæ seriei vestigia sequentem, iuxta humaniores textus in l. non puto ff. de iure fisci, & in l. iustas C. eod. tit. lib. 10. & in l. fin. §. penult. C. de caduc. toll. & in l. 1. §. fraudis ff. de portion. quæ lib. damn. quibus conuenit Plin. in panegyr. ad Traian. inquiens; *quæ præcipuè tua gloria est, sæpius vincitur fiscus, cuius mala causa nunquam est, nisi sub bono principe.*

CAP. III.

De Reuocatoria pro vniuersitate.

SVMMARIVM.

1 *Vniuersitates, siue municipiorum, siue collegiorum, & similium; stricto iure attento, non restituuntur.*

2 *Ciuitas Romana restituitur, & reuocat solutionem, & alienationem vti pupilla.*

3 *Vniuersitates, siue municipiorum, siue collegiorũ, & similiũ, tam magnæ, quàm paruæ, largo iure, ex clausula generali restituuntur: & per omnes numeros sequentes.*

4 *Priuilegia vni competentia, consortibus communicantur in causis indiuiduis.*

5 *Vniuersitas, an à restitutione in integrum petenda repellatur præscriptione.*

6 *Vniuersitatis contractus sola principis auctoritate firmatur.*

7 *Populum per se sine administratore agere, difficile est.*

8 *Vniuersitatis contractus difficiliùs, quàm contractus minoris substinetur.*

Vni-

1 VNiuersitas stricto iure attento,† regulariter priuatorum iure vtitur l. eum, qui vectigal ff.de verb.sign. l.2. C. de iure reip. lib.11. l.metum §. animaduertendum ff.de eo quod met.ca.glo.in d.rubr. de iure reip.& glo. in l.respublica C. quib. ex cau. ma.ideoque non iuuatur priuilegijs, nisi in casibus expressis in iure, quorum aliquos cõnumerat glo.magna in ead. l. eum qui vectigal,inter quos hæc facultas auocandi pecuniam, & alias res suas non legitur: non enim vti minor, sed vti maior vniuersitas in contractibus consideratur l. Lucius §. fin. & glo. ibi ff. ad municip. & l. 1.C.de vend. reb. ciu. lib.11. Idem etiam ad vniuersitatem castri, vel villæ, quòd non restituatur extendit glo. in d.l.respublica, & ibi Cyn. Idem denique dicimus de collegio, siue alio quouis corpore uniuersali l. item magistri, cum glo. ff. de pact.& l.metum §.animaduertendum,modò cit. Quod quidem de profanis accipimus: ecclesiastica namque cum ecclesia restituũtur, ut infra cap.prox.

2 Romanorum † autem respublica,indistinctè restituitur, quia vti minor consideratur l. respublica,cum glo.ibi C.quib. ex cau.ma.

imò vti pupilla l.rempublicam C.de iure reipubl. lib.11.& sic auocat pecuniam, & res alias suas alienatas eodē modo, ac fræno adhibito, vt de minore dicemus in cap.5.vsque ad totum num.5. hęc enim ciuitas distinguitur ab alijs ciuitatibus, vt ipsa restituatur, alię verò loco priuatorum habeantur l. bona cū l.seq.ff.de verb.sign. Butrigar.tamē, & Bart. in ead.l.respublica, extendunt restitutionem reipublicæ Romanæ ad omnes ciuitates ob eandem rationem: quia omnes vti Romana per administratores reguntur, quemadmodū minor per tutores, & curatores, & ecclesia per œconomos, iuxta glo.in ead. l. respublica: quæ quidem glo.videtur sibimet ipsi cōtraria, cum in locis superiùs allegatis, dixerit ciuitates regulariter non restitui. Hoc tamen argumentum extensionis ob eandem rationem non placet: quia lex priuilegiorum extensionem non admittit, quamuis par sit ratio, vt supra cap.1.deductum est. Et quanquam legis mens à ratione formetur l.non possunt cum l.seq. ff.de legib. l.non dubium C.eod.nō ideo sequitur, vt eadem ratio, quę militat in casu simili, obtineat eandem iuris dispositionem, quando casus similis prouisus est per legem contrariam, vt Bart. in d.l.

non

non dubium, per textum in d. l. non possunt, & in l. de quib. eod. tit. leges enim contrarias habemus, vt ciuitates regulariter priuatorũ loco habeantur, quas in principio hic allegaui: sed leges exorbitantes videntur, & à regula generali diuersæ: regula enim est, vt omnibus, qui sub aliorum cura reguntur, restitutio competat l. qui neque §. 1. & l. si prædia ff. de rebus eorum, vbi oratio Seueri, quæ de restituendo minore loquitur, extenditur ad alium quemcumque sub curatore manentem: & quidem administratores vniuersitatũ, curatores quoque vocantur l. fin. ff. de offic. assessor. l. curator C. de modo mulct.

Huius oppositionis timore Butrigar. de stricto iure ad largum transiuit, & solidè cõ-
3 cludendo dixit, quòd si † aliæ ciuitates non restituantur, vt Romana; restituuntur tamen ex clausula generali, nempe ex edicto de maioribus iusta causa intercedente restituẽdis, vt in toto tit. ff. & C. quib. ex cau. maior. & specificè in l. ergo, in fine, ff. eod. quia cùm ciuitas per alios regatur, difficilè omnes ciues possunt eius negotia scire, ac ad ea simul interuenire l. 2. §. deinde quia difficile ff. de orig. iur. l. 1. ff. de libert. vniu. & l. 1. §. fin. ff. de acqu. poss. eò magis propter infantes, & simi-
les,

les,secundùm glo.in l.municipibus ff.de con-
4 dit.& dem.in causis enim † indiuiduis priuilegia vni competentia, consortibus communicantur,l.si communem ff.quemadm.seruit. amitt.quamobrem eorum absentia, qui non interueniunt, est iusta causa eiusmodi restitutionis obtinendæ, quamuis vniuersitas legitimè congregata contraxerit: quia hoc nõ obstante multiplici modo hæc iusta causa inter populi multitudinẽ accidere potest,præsertim ex personis minorum, qui etiam decreto iudicis non obstante,illæsi seruantur l. siquidem C. de præd.min.& l.magis §.si æs ff. de reb.eor.

Hanc sanè rationem restitutionis ex clausula generali, dixit Butrigar.vbi supra, militare etiam pro castris, & villis magnis,quem sequitur Bart.in ead.l.respublica: idque in paruis quoque villis, & castris locum habere arbitror: quia, & ibi solent esse infantes, furiosi, mulieres, & alij, qui non congregãtur, secũdùm iura modò cit. & scribentes in ead. l.respublica:quæ tandem ratio viget etiam in collegijs, societatibus, alijsque corporibus similibus, dummodo legitimè fuerint erecta, iuxta l. 1. ff. quod cuiusque vniuer. nom. quoniam vniuersitati com-
pa-

parantur, vt in ead.l. 1.§. quibus: etenim in his quoque solent esse impediti, atque inhabiles, qui non congregantur, quorum beneficio tota vniuersitas gaudere debet, vt supra diximus: sed Bald. in l.ciuitas, sub n.4. ff.si cert.pet.contraria ratione colligit restitutionem rarò locum habere in collegijs fabrorum, societatis vectigalium, & similium, vbi omnes consentire possunt vtpote habiles ad contrahendum. Hoc tamen stricto iure accipitur, vt in l.item magistri ff. de pact. & in l.metum §. animaduertendum ff. de eo quod met.caus.& per alia supra allegata in princ.ideo licèt huiusmodi collegia, & societates rarò restituantur, attenta ratione Baldi; tamen propter clausulam generalem, quæ est largum ius, nempe humanitatis gratia introductum, vt in l.Pãtonius ff. de acqu. hæred.faciliùs restituuntur alijs causis: quia plures capit causas restitutionis largũ, quàm strictum ius, vt videre est in eisdem titulis, ex quib.cau.maiores.

Restitutio autem hæc ex clausula generali concedebatur olim intra annum vtilem, à tempore tamen cessantis impedimenti ad agendum l. 1.eod.tit. ibi, *quo primum de ea re experiundi potestas erit*: hodie verò intra

qua-

5 † quadriennium continuum l. fin. C. de tempor. in integ. rest. & Gothofr. in ead. l. 1. sed cùm vniuersitates restituātur ex personis minorum, prodigorum, & similium, qui minori exæquantur, vt dictum est; puto huiusmodi quadriennium concedi si decretum iudicis in actu interuenerit, quinquenniũ autẽ si non interuenerit, vt infra cap. 5. de minoribus. Veruntamen maxima cum difficultate hæc in vniuersitate locum obtinẽt: opus est enim, vt omnes minores, qui tempore actus ibi aderant, maiores euaserint, & in alijs inhabilibus cessauerit inhabilitas, vt ex tunc ea tẽpora currere incipiāt, vt incipiunt in minore, ex quo fit maior, vt in eod. cap. 5. quinimo neque præscriptio triginta, vel quadraginta annorum videtur contra vniuersitatem sufficere ad actionem eius perimendam: quamuis contra minorem sufficiat, vt in l. fin. in fine C. in quib. caus. in integ. rest. nõ est necess. quia per superuenientem natiuitatem pupillorum, semper interrumpitur præscriptio l. sicut §. quæ ergo C. de præscript. trig. vel qua-
6 drag. annor. nec alia † cautela potest actum similem confirmare, quàm principis auctoritas: quia summus magistratus est l. si imperialis C. de legib. ac subditorum omnium pater

ter §. fin. Auth. neque virum: & ad eum de populo translata est omnis potestas l. 1. ff. de constit. princ. Sed si fortassis hæc ratio minorum, & inhabilium, vel alia iusta causa restitutionis cessaret; vniuersitas absque beneficio restitutionis remaneret, & tunc locũ obtineret, quod supra diximus in princ. priuatorũ iure vti: verùm cũ in pluribus consistat, ferè nunquam aliquis ibi deficit, quem hæc restitutio protegat, præsertim in municipio, quod necesse est, vt sub aliorum cura regatur: cum hæc sola ratio sufficiat ad restitutionem in integrum obtinendam, vt etiam dixi-
7 mus supra: difficile enim † est vniuersum populum per se absque administratore interuenire l. 2. §. deinde quia difficile ff. de orig. iur. l. municipibus, in fine, cum glo. ff. de condit.
8 & demonstr. itaque † contractus cum vniuersitate difficiliùs, quàm cum minore substinetur. Cautè igitur negotiandum est, resque nostra cum pecunia, vel alia re vniuersitatis, non facilè permutanda, nisi principis auctoritate accedente, vel vt diximus in cap. præcedenti, sufficit auctoritas illius, qui principis potestate immediata fungitur, vt in iure vicarius nuncupatur, & apud nos prorex.

Cætera, quæ pertinent ad actionem reuo-

catoriam extraordinariam, nempe iure minoris, quo vniuersitas fruitur, vt dictum est; habentur infra cap. 5. vsque ad totum nu. 5. quę verò pertinent ad reuocatoriam ordinariam in communi, habentur infra cap. 9.

C A P. I V.

De Reuocatoria pro ecclesia.

S V M M A R I V M.

1 *Ecclesia, & cuncta loca pia reuocant alienata, quia vel restituuntur instar minoris, facti maioris, intra quadriennium à die læsionis, vel inualidè agunt: & qualiter præscriptione excludantur.*

1 ECclesiam regulariter iure † minoris illæsam seruari notabili læsione intercedente, habemus ex c. 1. & glo. 2. ibi extra de in integ. restitut. iuncto cap. penult. §. fin. extra de rebus eccles. non alien. quod in cūctis locis pijs locum obtinet l. omnia C. de episc. & cler. potestatemque permittendi alienationes rerum ecclesiæ, Sūmus Pontifex Paulus Secundus, episcopis alijsque ecclesiasticis præpositis interdixit, & sedi Apostolicæ re-

reſeruauit, vt in extrauag. ambitioſæ, de rebus eccleſiæ non alien. idque ſpecia tim cauetur etiam quantùm ad pecuniam eccleſiæ in fraudem alienatam c. qui Chriſti 12. q. 2. verùm pecunia ſiue aliæ res eccleſiæ ſi conſumptę ſint, reuocatur earum æſtimatio, tantùm contra eum, cui primò peruenerunt, non contra tertium, niſi tertius quoque ſit fraudis particeps: ideoque pecuniam eccleſię recuſare poteſt ille, qui cum eccleſia, ſeu eius prælato immediatè contraxit: non autē tertius, cui idē contrahens iterum eandem pecuniā liberam ſoluit, vt in cap. ſequenti, vſq; ad totum num. 5. de pecunia minorum, quibus, vt dictum eſt, eccleſia comparatur.

Vnum tamen duxi notandum, quòd eccleſia non æquiparatur minori, vt minori, ſed vt maiori facto, vt intra quadriēnium reſtituatur cap. 1. & 2. de reſtit. in integ. in 6. & glo. magna in d. cap. 1. extra eod. tit. per l. fin. C. de tempor. in integ. reſtit. quemadmodum enim minor hoc fruitur tempore à die, quo fit maior, vt in ead. l. fin. ita eccleſia à die læſionis, iuxta idem cap. 2. & clem. ab eccleſia eod. tit. Verùm ſpatium hoc intelligamus competere aduerſus actum ſolenniter, & legitimè geſtum, ſi eccleſia læſionem ſentiat,

prout intelligitur in minore aduersus alienationem factam, decreto mediante, vt in proxima cit.l.fin. cum glo.1.in l.fin.§.1. C.si maior fact.alien.rat. aliàs enim si intelligeretur, vbi solennitas, & iuris forma deficit in alienatione; frustra hæc iura inuenta essent, quia tunc ecclesia non quadriennio, sed semper illæsa seruatur, vt in d. extrauag. ambitiosæ: vbi cum actus sit ab initio nullus, tempore nõ conualescit l.quod ab initio ff.de reg.iur.nisi præscriptione triginta annorum à die mortis prælati, qui alienauit iuris forma non seruata c.sacerdotes 16.quæst. 3. vel à die, qua discessit prælatus à regimine illius ecclesiæ: nã tota huius textus ratio est, quia difficile corrigitur eiusmodi error ab eodemmet errante dum permanet in eadem ecclesia, vt innuit glo.3.ibi:vel conualescit actus per præscriptionem centum annorum in Ecclesia Romana, vt glo.in auth.quas actiones C.de sacros. eccl.per tex.in cap.fin. 16.quæst.3.cum alijs. Neque consensu tacito quinquennij conualescere potest actus, vt conualescit in minore per d.l.fin.§.1.C.si maior.fact.& glo.in ead.l. quod ab initio: quia maior factus consentire potest, vt in eod. §.1. sed in ecclesia deficit extremum habile, cum nemo alienationi rei

ecclesiæ consentire valeat, nisi solus Papa, vt dixi per extrauag. ambitiosæ.

Hęc breuiter quantùm ad actionem reuocatoriam extraordinariam ecclesiæ competentem ratione restitutionis in integrum: quantùm verò ad reuocatoriam ordinariam, siue in communi; vide infra cap. 9.

C A P. V.

De Reuocatoria pro minoribus.

S V M M A R I V M.

1 *Minor consumptam pecuniam condicit à primo recipiente, non autem ab eo, cui recipiens iterũ eãdem pecuniã soluit, nisi uolũtate minoris soluerit: secus in pecunia extanti: & in num. seq.*

2 *Pecunia minoris, à quo possit recusari.*

3 *Minori restitutio datur, tam contra tutorem, vel curatorem, quàm super bonis alienatis cum facultate variandi ad libitum.*

4 *Minor factus maior restituitur intra quadriennium, vel quinquennium continuum aduersus gesta in minori ætate: & quando tempora hæc incipiant, & quando maiora tẽpora concedãtur.*

5 *Minoris cõtractus nunquam est omnino firmus; & quæ maior cautela ibi possit adhiberi.*

6 Tex-

6 *Textus in auth. sacramenta C. si aduers. vendit. incipit ruminari, & per omnes numeros seq.*

7 *Textus in auth. sacramenta C. si aduers. vendit. plures habet intellectus, sed verus est, vt habeat locum in contractu puberis quatenus valet.*

8 *Lex posterior quod nō exprimit censetur reliquisse legi anteriori: quod verò non exprimit anterior, suppletur per posteriorem.*

9 *Iuramentum puberis plura contineret absurda, si contractum inualidum, vel rescindendum firmaret.*

10 *Iuramentum tres debet habere comites, iustitiam scilicet, iudicium, & veritatem, qui deficiunt in contractu puberis inualido, vel rescindendo.*

11 *Minorem 25. annis in spiritualibus haberi pro maiore, intelligitur in iuramento super contractibus quatenus ualent.*

12 *Iuramentum excludere actionem de dolo, & habere uim transactionis, quomodo intelligatur.*

13 *Tex. in l. cum pater §. filius ff. de legat. 2. expenditur.*

14 *Tex. in cap. quamuis, de pact. in 6. alterat naturam iuramenti, & nihil operatur: quemadmodum similes textus exorbitantes.*

15 *Iuramentum super contractu per se ualido, non est inane, sed magni ponderis.*

16 *Iu-*

16 *Iuramentum nunquam alterat naturam actus, in quem cadit: nec est vbi non est iustitia, iudicium, & veritas.*

17 *Iuramento suo licet iniusto contrauenire nemini permittitur, nisi auctoritate ecclesiæ: & quando aliter.*

18 *Iuramentum quando purè, vel sub conditione relaxandum sit.*

19 *Iuramentum remittere pertinet ad Papam, ac ad alios dignitatem, vel iurisdictionem episcopalem habentes.*

MInor inter plurima suffragia, quibus fruitur pro restitutione in integrum obti-
1 nenda, quantum ad auocationem † suæ pecuniæ solutæ, aperta quoque pro se iura obtinet, tam si in emptionem conuersa fuerit l. patri §. si pecuniam, vers. prædium ff. de minor. quàm si aliter soluta sit l. interdum ff. de condict. indeb. l. ex facto §. planè ff. de pecul. hoc tamen competere palam est in ijs legibus, contra eum, qui pecuniam immediatè recepit, siue à minore, siue ab eius tutore, vel curatore: quoniam contra alium, cui recipiens, iterum eandem pecuniam soluit, constat minori auocationem denegari, si pecunia consumpta sit l. non omnis §. si pupillus, vers.

vers.quapropter ff. si cert. pet. nisi ea conditione minor soluisset, vt secundo recipienti pecunia perueniret: etenim eo casu videretur profecta immediatè de minore ad secundum recipientē, iuxta l. sed, & si §. 1. ff. ad Maced. vel nisi in fraudem minoris solutio facta fuerit, prout cuilibet priuato sine priuilegio
2 tūc auocatio datur, vt infra cap. 9. Itaq; † minoris pecunia, & si alioquin offeratur libera; recusari potest à contrahente cum minore, vel eius tutore, siue curatore: sed ab illo, cui contrahens iterum eandem pecuniam liberā offert, constat recusari non posse. Quantum ergo ad pecuniam consumptam recuperandam, hoc modo minori succurritur. Si verò pecunia extet, videtur contra tertium vendicari posse, vt ex eod. vers. quapropter: & ex eo tex. eodē modo distingue in alijs rebus minoris extantibus, vel nō extātibus. Scimus
3 etiā beneficiū† restitutionis in integrum dari, tā cōtra tutorem, vel curatorem, quàm super bonis alienatis cum potestate variādi ad libitū l. 3. cum l. 5. C. si tutor vel curat. interu.
4 ac idem beneficium restitutionis † durare post maiorem ætatem vsq; ad quadriennium l. fin. C. de temp. in int. rest. vel vsq; ad quinquennium l. fin. §. 1. C. si maior fa. alien. rat.
hab.

hab.ad quadriennium ſcilicet, ſi in actu interuenit iudicis decretum: ad quinquenniũ verò ſi non interuenit, vt diſtinguitur ex hoc vltimo textu cum ſua rubrica, & glo. 1. prout etiam glo. in verbo comprobauerit in l. 3. §. ſi quis ff. de minor. taciturnitas enim quinquennij, pro conſenſu ſiue ratihabitione habetur, vt in ead. l. fin. Rurſumque quadriennium eſt continuum, & incipit ex quo maior factus agere poteſt, vt glo. in ead. l. fin. C. de tempor. in int. reſt. ſucceſſit enim huiuſmodi ſpatium in locum vtilis anni, vt in eod. tex. & vtilis annus currere cœperat ex quo læſo experiundi poteſtas erat, vt in l. 1. ff. ex quib. cauſ. maiores, & in l. 1. ff. quæ in fraud. cred. quinquennium verò etiam continuum eſt, & incipit ex quo maior factus nouerit lęſionem ſibi illatam, vt ex ead. l. fin. C. ſi maior fact. alien. rat. hab. ſiquidem ſi læſionem ignoret, non quinquennio, ſed præſcriptione excludetur à reſtitutione, vt in l. fin. C. ſi quis ignorans: quemadmodum Bart. in ead. l. fin. C. ſi maior fact. alien. rat. hab. adeòque multò magis eadẽ præſcriptione tollitur eo caſu quadriennij reſtitutio, cum ſit contra iudicis decretum. Præterea ſi quæramus quare quadriennium currit ex quo læſus agere poteſt,

quinquennium verò ex quo scit læsionem sibi illatam; respondetur primo casu oportere minorem causa cognita, & lite contestata restitui aduersus iudicis decretum, vt in cit.l. fin.C.de temp.in int.restit.& in l. siquidem C.de præd. minor. in secundo autē casu,cùm agatur de alienatione inualida, vtpote sine decreto; potest maior factus restitui per simplicem querimoniam, & extra iudicium, vt in cit.l.fin.& ibi glo. conquestus C. si maior fact. Imò quinquennio non confirmatur, nisi alienatio, quæ titulo oneroso processit: nam si lucratiuo, siue sciente, siue ignorante illo, qui læsus est,non confirmatur, nisi præscrip-
5 tione, vt ibid.in §. fin. Itaque † neque iudicis decretum sufficit, neque cautelam inuenio, vt contractus cum minore initus, omnino tutus reddatur: quoniam stante læsione, vel restitutio datur decreto non obstante l.siquidem C.de præd.min. vel neque contractus, neq; decretum valent l.& si præses,eod. tit.& l.magis §.si æs ff.de reb.eor. laudandus tamen erit iudex, qui eiusmodi contractum duplici funiculo firmauerit, nempe cum illū minori expedire declarauerit, simulq; cùm decretum, siue auctoritatem super eum imposuerit, vt in nostris curijs prudenter seruatur:

tur: neque maior cautela, videtur in hoc adhiberi posse, etenim contractus tunc, neque nullus, neque restituendus est, nisi tãtummodo cum minor probare potest iudici obreptum fuisse, vt in l. 1. in fine, & in d. l. magis §. manet ff. de reb. eor. & in d. l. & si præses C. de præd. minor. Hæc de actione reuocatoria extraordinaria, ratione restitutionis in integrũ: quantùm verò ad reuocatoriam ordinariam, perquire infra cap. 9.

Modò, vt calami prurigini satisfaciam, vnum vtile non omittam, etsi vetustissima
6 quæstio sit, an † contractus puberum, nulli, vel ope restitutionis rescindendi; firmi remaneant ob eorum iuramentũ virtute auth. sacramenta C. si aduersus vend. ad cuius notitiam præmitto, quòd ante hunc textũ quæstio fuit inter Bulgar. & Martin. iuris ciuilis antiquos glossographos, circa intellectũ textus in l. 1. C. si aduers. vend. vbi minor 25. annis vendidit prædium, & iurauit se nunquam ab ea venditione recessurum; ob iuramentũ tenetur seruare tale pactum: Bulgarus enim dicebat iuramentum illud intelligi seruandum esse, quando super contractu valido interponeretur, non quando super inualido, per l. non dubium §. fin. C. de legib. nempe si

decretum super inualido interpositum non esset, sed si interpositum esset, tunc tenebat cõtractum esse validum ipso iure, sed restitutionem in integrum ob iuramentum denegari. Martinus autem seruandum esse tenebat iuramentum, tam si super valido, quàm si super inualido contractu interponeretur: & textum in d.l.non dubium, dicebat habere locum in perpetuò prohibitis: nam venditio minori non perpetuò prohibetur, sed multis casibus permittitur, vt in l.ob æs C. de præd. minor. Hæc refert glo.in d.l.1. C. si aduers. vend.

Eodem tempore Bulgari, & Martini, regnabat Imperator Fridericus primus, cognomento Ænobarbus, qui, vt fertur, ad eã dem quæstionem dirimendam, textum condidit in §.item sacramenta, de pace tenenda inter subdit. In vsib.feudor. vnde sumitur d. auth.sacramenta: sed non declarauit expressè, an super valido tantùm contractu locum haberet iuramentum, secundùm Bulgar. vel an etiam super inualido, secundùm Martin.
7 Veruntamen quantùm ad hoc † reperio cum Iasone in eadem auth. tres intellectus. Primus est intellectus glossæ, modò citatæ in d.l. 1.quæ tenet declarare secundùm Martin.
dum-

dummodo minor sit pubes, quia impubes non ligatur iuramento l. qui iurasse ff. de iureiur. & facit cap. 1. de delictis puer. & cap. paruuli, cum duob. sequentib. 22. quæst. 5. Secundus intellectus est Cyni in ead. auth. sub n. 2. qui ait potiùs declarare secundùm Bulgar. sed eum non sequitur. Tertius intellectus est Christoph. Porcij in §. extraneis Inst. de hæred. qual. & diff. nempe, quòd auth. ipsa non declaret contractus puberum esse custodiendos, sed illorum iuramenta esse custodienda: sicque aliud esse custodiri iuramentum, aliud custodiri contractum: vnde principaliter Porc. colligit, quòd licèt pubes teneatur stare iuramento; non tamen ob iuramentum tenetur stare contractui nullo, vel ope restitutionis rescindendo, sed validum tantùm seruare teneatur: sed hic intellectus non placet, quia licèt hęc auth. dicat iuramẽtum seruandum esse, deque contractu nihil dixerit; nihilominus expressum erat in d. l. 1. C. si aduer. vend. per verba ibi, *neque perfidiæ, neque periurij*, hoc est contractum, & iuramentum seruandum esse, vt explicat glo. & Gothofr. ibi.

Placet tamen, quòd neque iuramentum custodiendum sit vbi contractus, in quem cadit

dit non valet,& vera sententia dictorum textuum in l. 1. & in auth. sacramenta est, vt ostēdatur puberem posse iurare, vt quilibet maior: cæterùm quatenus contractus valet iuramentum seruare tenetur: aliàs enim daretur correctio vniuersi iuris, tam canonici, quā ciuilis, digestorum, codicis, & authenticorū, vbi sancitum est iuramentum non alterare naturam contractus, sed vt contractum quatenus valet informet: inualidum nanque ab initio non roborat, cap. si diligenti, in fine, extra, de foro comp. l. non dubium §. fin. C. de legib. l. iuris gentium §. & generaliter ff. de pact. l. si quis inquilinos §. fin. ff. de leg. 1. l. si quis pro eo ff. de fideiussor. l. nullum. ff. de obseq. à lib. §. quia enim Auth. scen. non sol. neque validum si rescindatur, reficit l. fin. C. de non num. pec. imò neque pro parte rescissum restituit, sed in reliqua parte restat, quādo contractus diuisionem patitur l. si ex falsis C. de transact. multoties nanque minoris cōtractus valet, & regulariter vbi non læditur, vt mox dicemus. Et hæc iura remanent in robore, siue omnia, siue quædam ex eis condita sint ante, siue post textum in d. l. 1. & in auth. sacramenta C. si aduers. vend. quia loquuntur expresse, vt iuramentum seruandum

sit

sit super contractu valido, non verò super inualido, vel rescindendo, sicut iam dictum est: sed textus in l. 1. & in auth. sacramenta loquuntur simpliciter de seruando iuramento super contractu: nec explicant super valido,
8 vel inualido: quod enim † posteriori lege nō exprimitur; id relictum censetur legibus prioribus: quod autem lex prior non exprimit, suppletur per posteriores §. tribus Auth. quibus mo. natur. effic. sui, & l. præcipimus §. fin. C. de appellat. quem textum habes in Florentina litera correctè, & l. non est nouũ, cum duab. sequentib. ff. de legib. & §. illud Auth. de administr. offic. contractus autem cum minore multis casibus tenent, vt in l. ob æs C. de præd. minor. in l. si pupilli ff. de negot. gest. & alijs: & regulariter vbi non læditur l. in pupillo ff. de solut. & sic ibi iuramen-
9 tum valet. Quinimò † si iuramentum puberis firmaret contractum inualidum, vel rescindendum; plura sequerentur absurda. Primum absurdum, quia essent melioris conditionis maiores, quàm minores: maiorũ enim contractus inualidus, vel rescindendus, nequaquam iuramento firmatur, vt in d. l. non dubium, & concord. Secundum absurdum, quia solo iuramento minoris, quod in minimo

mo quoque actu hodie interponitur; tituli omnes, & iura quæ minores indemnes conseruant, vana essent, & obliterãda, quod nullo modo credendum est, vt patet ad sensum, & ex l. si quando C. de inoff. test. Tertium absurdum, quia iuramentum foueret fraudem, & dolum contra minoris miserandam ætatẽ, & peierandi ansam illi prębêret ad eiusmodi damna vitanda: sicque vti contra bonos mores, & in perniciem salutis æternæ non teneret c. inter cætera, & per tot. caus. 22. quęst. 4. cap. si verò, cap. quanto §. super, cap. cum cõtingat, ex. de iureiur. cap. quamuis de pact. in 6. cap. non est obligatorium de reg. iur. in 6. l. 2. in fine C. de ind. vid. toll. cum similib.

10 Tres † enim inuiolabile ius diuinum requirit in iuramento comites, nempe veritatem, iudicium, & iustitiam, secundùm verba Ieremiæ cap. 4. exarata in cap. & iurabunt 22. q. 1. & in cap. & si Christus, ex. de iureiur. Veritas nanque requiritur, vt syncera consciẽtia iuretur: iudicium, vt adsit in iurante maturum consilium: iustitia, vt quod iuratur sit licitum, & iustum, quemadmodum explicat glo. in eod. cap. & si Christus, & glo. in cap. animaduertendum 22. q. 2. Itaque cum in iuramento puberis, ob eius fragilitatem, fa-

facilè ſynceritas corrumpatur, vt ex cap. 1. ex. de delict. pueror. maturum conſilium non adſit, quia neſcit quid agat, vt conſiderat glo. in cap. paruuli 22. q. 5. per tex. in l. 1. §. impuberes C. de falſa mon. & iuſtitia prorſus deficiat, vbi alioqui reſtitutio in integrum propter iuramentum impediretur, vt per ſe patet, cum ſit contra omnes leges, minoribus reſtitutionem concedentes; tunc non iuramentũ, ſed periurium pubes obſeruare diceretur, ſi iuramentum obſeruaret, ſecundùm idem cap. animaduertendum, & Diu. Tho. 4. ſent. diſt. 39. quæſt. 1. de periurio: imò etiam ſi contra nõ obſeruantem oriretur periurium, illud contra iudicem, qui iuramentum admiſit, retorqueretur, auth. quod eis C. de nupt. Miror quidem oppoſitum ſenſiſſe magnum noſtrum Accurſium, qui gloſſam contrariam edidit in d. l. 1. C. ſi aduer. vend. & in d. §. item ſacramẽta, de pace ten. int. ſubd. In vſib. feud. cum qua gloſſa, tanquam ſub ſupremo vexillo, magna iuriſprudentum pars errauit, ſequendo Martini erroneam opinionem, quæ multorum animas miſit ad inferos, propter multa patrimonia miſerabilium puberum, quæ ex cauſa iuramenti ab eis ob fragilitatẽ præſtiti, iniquè exinanita, atque deſtructa

 fue-

fuerunt, quemadmodum exclamat Cyn. in ead. auth.sacramenta, sub num.2. Veniamus nunc ad contraria.

Opponitur primò, quia iuramentū est quid spirituale cap.& si Christus, ex. de iureiur. &
11 in spiritualibus † minor 25. annis habetur pro maiore, cap.si annum, de iudic. in 6. sicq; his duobus textibus canonicis, canonizata videtur d.auth.sacramenta, quæ vult puberē iuramenti religione teneri. Soluitur oppositio, quia hoc est verum, quantum ad iuramentum tantùm, ad declarandum, quòd minor ex anno 14. validè iuret, vt quilibet maior: cæterùm remanet sub dispositione iuris communis, vt iuramentum non confirmet actum nullum, vel rescindendum, prout est contractus minoris: quod quidem ius commune remanet in robore, vtpote non correctum per hæc iura, quemadmodum superiùs deductum est.

Opponitur secundò textus in l.quòd si de-
12 ferente ff. de dolo, vbi † iuramentum excludit actionem de dolo, & vim transactionis habet: ergo videtur alterare naturam contractus. Soluitur oppositio, quia hic textus iure canonico est correctus, quemadmodum tenet Innoc. in cap.quia propter nu.12. in princ.

princ. extra, de elect. eo nanque iure attento, iuramentum vbi dolus intercedit, seruandum non est, imò seruans, vt periurus habetur, vt modò dictum est: quandoquidem in materia iuramenti, ius canonicum seruatur cap. nouit §. licèt, ex. de iudic. & cap. fin. de foro comp. in 6. Pæterea soluitur oppositio hæc à visceribus, quia noster discursus est de seruando pacto virtute iuramenti: textus verò in d. l. quòd si deferente, loquitur de seruando iuramento virtute pacti, vel auctoritatis iudiciariæ: quod quidem nõ est mirum, nec ad nos pertinet: etenim ibi pactum, vel auctoritas iudicis, tacitè, vel expressè promittunt seruandum esse, quod iuratum fuerit: iuramentum verò non est, nisi medius terminus ad veritatem indagandam, vt in l. 1. ff. quar. rer. act. non dat. ita exprimit etiam tex. in l. 1. & seq. ff. de iureiur. vbi dicitur iuramẽtum habere maiorem vim, quàm res iudicata.

13 Opponitur tertiò † tex. in l. cum pater §. filius ff. de legatis 2. vbi filius matrem hæredem scripsit, eamque obligauit iuramento ad restituendam hæreditatem: inualido reperto testamento, quamuis mater ab intestato ad eandem successionem admitteretur;

 ni-

nihilominus ob iuramentum, ad eandem hæreditatem eodem modo restituendam obligata remansit: sicque videtur iuramētum habere locum in actu nullo, nempe in testamēto inualido. Soluitur oppositio, quia iuramentum ibi, nequaquam operatur principaliter vt iuramentum, sed secundariò, vt indicium bonæ voluntatis testatoris erga substitutum: quia cùm testator voluerit matrem ita iurare; videtur voluisse, vt ipsa omnimodo restitutionem executioni demādaret: itaque illa substitutionis repetitio de causa testati ad causam intestati, non inducitur vi iuramenti, sed vi voluntatis testatoris, ita coniectæ, ex eo quia iuramento strinxit hęredem, vt legitur in eod. tex. ibi, *nam obnixæ voluntatis preces*, &c.

14 Opponitur quartò † tex. in cap. quamuis, de pact. in 6. vbi filia dum nuptui tradebatur, vocauit se dote contentam: ideoque iuramēto promisit nunquam ad bona paterna regressum habere: quamuis eiusmodi promissio improbetur à lege ciuili, vt in l. pactum dotali C. de collat. & similib. nihilominus omnino seruanda est propter iuramentum, si tamen sine vi, & dolo præstitum fuerit, & nō vergat in æternæ salutis dispendium, nec in

alte-

alterius detrimentum. Soluitur oppositio, quia ibi non est iuramentum, quod alterat naturam actus, sed legislator, qui alterat naturam iuramenti, quæ est, vt locum non obtineat in actu improbato, vt supra dictum est: quandoquidem textus est, qui vult ibi, vt stante iuramento actus nullus valeat, sicq; pactum illud seruandum est virtute textus, non virtute iuramenti, & ille textus, vt admodum exorbitans, ne puncto quidem trahendus est vltra casum, de quo loquitur, neque in consequentiam cap. quæ à iure communi, de reg. iur. in 6. l. quod contra ff. eod. ita respondendum puto ad tex. in cap. debitores, ex. de iureiur. & ad alios textus, tum canonicos, cùm ciuiles iuramenti naturam alterantes: imò ipsummet ius canonicũ, quod in materia iuramenti attenditur, vt etiam dictum est, eos textus veluti spumas reijcit, & in nihilum redigit: rigorosè enim iubet, iuramentum non esse seruandum si periculum animæ, iniquitatem, dolum, vel iniustitiam contineat, & si seruetur, seruantem, vt periurum habendum esse, vt supra plenè deductũ est: siquidem omnia, vel aliquod huiusmodi vitiorum, hi textus exorbitantes apertè continent, cùm pacta iniusta, & legibus expressè

im-

improbata foueant, vt ibi legitur: imò etiam ipsemet textus in cap.quamuis, corrigitur à semetipso in fine, vbi eadem leguntur, nempe iuramentum præstitum vi,dolo,& cum alterius damno,vel cum animæ periculo, non esse seruandum:neque principem huiusmodi legem condere posse, legitur in l.filius ff. de cond. instit. Nihil igitur operantur hi textus exorbitantes,nisi tincturam in chartis, & cõfusionem in mentibus.

Opponitur quintò, quia iuramentum inane esset, si super valido tantùm contractu locum haberet: etenim contractus eo casu,per se absque iuramenti auxilio sustinetur. Sol-
15 uitur oppositio, quia † iuramentum non est inane, sed magni ponderis: addit enim forum foro, ita vt qui pactum validum seruare negat, duplici via coërceatur pro arbitrio actoris, nimirum via ciuili, vt in l.iuris gentiũ §. prætor ait ff.de pact.& via canonica, vt in cap.fin.de foro comp.in 6. quemadmodum. Imola in cap.cum contingat,sub.n.29.ex. de iureiur.& scribentes in ead. auth. sacramenta.Præterea iuramentum operatur,vt iurans, non facilè discedat à contractu præ timore ne incidat in pœnam periurij,quę magna est, l.nam sufficit ff. de dolo: infamiam nanque,

pœ-

pœnam pactis insertam, causæ amissionem, recepti restitutionem, dignitatis priuationẽ indicit l. si quis maior C. de transact. cum l. penult. C. de dignitat. lib. 12. ac testimonij dicendi facultate priuat, cap. quicunque 6. quæst. 1. cap. si quis conuictus, & cap. paruuli 22. q. 5. & quod magis Deum vltorem habet, vt patet ad sensum, & in l. 2. C. de iureiur. & in l. 2. C. de reb. cred. periurium enim est mẽdacium iuramento firmatum, vt definitur à D. Tho. 4. sent. dist. 39. quæst. 1. de periurio: neque solùm hac horribili pœna punitur, sed nec sine maxima satisfactione relaxatur, nẽpe ieiunio quadraginta dierum in pane, & aqua, cum continua septem sequentium annorum pœnitentia, vt in cit. cap. quicunque 6. q. 1. ecclesia tamen, vti mater pia, post peccatum commissum, rigorosam huiusmodi satisfactionem non exigit, sed arbitrio confessarij remittit. Reiectis igitur contra-
16 rijs, apparet iuramentum, † nedum puberis; verùm etiam maioris, ne puncto quidem alterare naturam actus, in quem cadit: & scopũ, ad quem materia iuramenti dirigitur, esse à iure Diuino præscriptum, cui leges humanę derogare non possunt, nimirum, vt iuramentum non sit, vbi non est iustitia, iudicium, &

veri-

veritas: adeo vt quicquid contra hæc tria requisita, vel eorum singula legibus inuentū est, habeatur veluti tumor prauus præter naturam iuramenti, omnino resecandus.

Hac tamen conclusione retenta sciendum
17 est † non posse qui iuratus est, iuramento cōtrauenire tuta conscientia, etiam si super cōtractu inualido iurauerit, nisi absolutionem ad id ab ecclesia priùs obtineat, cap. si verò, ex. de iureiur. quia iudicare vtrùm iuramentum sit licitum, vel seruandum, necne, non pertinet ad iuratum, sed ad ecclesiam, cap. venerabilem §. item, ex. de electione: verùm contrauenire valet, vbi liquet iuramentum seruari non posse sine interitu animæ, cit. cap. si verò, vt si iurauit facinora committere c. 1. & sequentib. 22 q. 4. vel si necessitas vrgeat, & superior haberi non possit, à quo concedatur absolutio, vt singulariter dixit Innoc. in eod. cap. venerabilem, n. 6. per tex. in cap. antecessor 11. quæst. 3. vel vbi iuramentum in melius commutatur cap. 3. ex. de iureiur. & vbi iuramentum constat esse illicitum, sed tamen seruari posse sine interitu animę; permittitur etiam conniuentibus oculis contrauenire auctoritate propria, vt si quis iurauit
18 inuitus cap. verùm eod. tit. sed quamuis †

con-

constet iuramentum esse illicitum sine interitu, vel cum interitu animæ; absolutio ab illius obseruantia interponenda est, non deneganda: pœnitentia tamen iniuncta ex quo malè iuratũ fuit cap. 2. iuncto cap. cum quidã §. 1. & cap. quanto §. super, eod. tit. & cap. necesse 22. quæst. 4. Vbi autem iniustitia iuramenti non liquet, etiam concedenda est absolutio, ne periurijs aperiatur via, secundum cit. tex. in cap. si verò: non tamen plenè, sed conditionaliter, quemadmodum notatur ex tex. in cap. solet, ex. de sent. excom. nempe ad finem agendi, sed vt eatenus valida sit absolutio, quatenus probatum fuerit iniustum fuisse actum, super quo iuratum fuit, itaut si actor sententiam obtineat, censeatur simul plenè absolutus: si verò succumbat, remaneat plenè innodatus iuramẽto, quemadmodum explicat Paul. de Castro cons. 259. circa primum n. 2. vers. posset etiam lib. 2. quem sequitur Couar. var. cap. 4. nu. 6. prout hodie, vtplurimum ad finem agendi conceditur talis absolutio: & quidem prudenter, ne iuramentum inconsultè frangatur, utque actori pariter, ac reo, citra præiudicium consulatur.
19 Nec solũ à Papa † concedi potest absolutio, ut uidetur ostendere tex. in cit. cap. si uerò, de

iureiur. sed etiam ab archiepiscopo, cui cõmittitur id in d.cap.cum quidam §.1.eod.tit. siue ab episcopo, cui etiam id committitur in cap.Quintauallis, & in cap. cum cõtingat eod.tit.ita Innoc.in cap.debitores,sub nu. 2. eod.tit.siue etiam à capitulo sede vacante,cũ tunc exerceat iurisdictionem episcopalem cap.penult.& fin.de suppl.negl.prælator.in 6. cap.vnico,de maiorit.& obed.in 6. & not. in cap.his quæ, extra eod. tit. ita Zabar. in conf.35. num.3.vers. ad secundum:& pręter hos nulli prælato id permittitur, qui episcopali iurisdictione caret, vt ait Abbas in cap. quanto n.8.prope fin.eod.tit. per tex.in cap. 1. extra de voto: agitur enim quasi de remittendo peccato antequam committatur.

CAP. VI.

De Reuocatoria pro alijs, qui reguntur sub curatore.

SVMMARIVM.

1 *Curatorem habentes, minoribus exæquantur: & qui sint isti.*

2 *Meretrix curatore opus non habet: & per num. sequentem.*

3 *Me-*

3 *Meretrices vnde lupæ cognominentur.*
4 *Auaro curator non datur: & per duos num. sequentes.*
5 *Contrariorum eandem esse disciplinam, quomodo intelligatur.*
6 *Auarus tres habet à natura curatores.*
7 *Prodigo dicitur bonis interdictum iudicis decreto mediante: furioso autem ipso iure: quemadmodum cæteris insanis: & quænam sit ratio differentiæ.*
8 *Muto, ac surdo simul, siue muto tantùm, ac surdo tantùm, ipso iure bonis interdicitur.*
9 *Curatoris datio sine alia interdictione prohibet illi, cui datur, bonorum administrationem.*
10 *Curatorem habentes, intra quæ tempora restituãtur postquàm curator cessauit.*

1 DEscendamus ad alios, qui sub curatore manẽt, † quorum sanè pecunia siue res aliæ, solent eodem modo auocari, ac si minorum essent: hos enim per omnia in contractibus minori æquiparari constat, siue puberi l. si curatorem C. de in integ. rest. min. l. si prædia ff. de reb. eor. siue impuberi l. qui neq; §. 1. eod. tit. l. certi §. item quęri ff. si cert. pet. l. dabimusque §. 1. ff. de priuil. cred. oratio nanque Seueri, de qua in l. 1. ff. de reb.

eor. cùm de minoribus adiuuandis loquatur; eius sententiam verbis ampliorem porrigendam esse ad omnes quoscunque sub curatore manentes, apparet ex l.2.C.de curat. fur. & ex cit.l.si prædia,& l.qui neque §.1.& ex glo. 3. in d.l.1. Rursumque cùm oratio loquatur de alienatione prædij rustici, & suburbani; eandem sententiam porrigẽdam esse ad omnes alienationes, habetur in l.magis, eod. tit. de reb.eor.quod ipsamet rubrica demõstrat, quæ indefinitè loquitur; *de rebus eorum, qui sub tutela, vel cura sunt*: itaque regitur materia ista cum illa de minoribus, vt in cap. præcedenti vsque ad tot.num.5. & qui præter minores sub curatore manẽt, isti sunt; furiosus, l.1.ff.& C.de curat.fur. §.furiosi,Inst. de curat. Item alij mentecapti, siue fatui §. sed & mentecaptis. Instit.eod.tit.cum l.2.ff.de postul. Item surdus, & mutus, si talis sit vt rebus suis superesse nequeat §. sed, & mentecaptis mod.cit.iuncta l. discretis C. qui testam. fac. poss.& l.item quia,cũ glo.& mutus ff.de pact. Itẽ prodigus §.furiosi modò cit.l.1.ff. de cur. fur.Item patrimonium decoctoris l.2.& l.fin. ff.de curat.bon.dando. Item venter prægnãs l.1.§. quoties ff. de ventre in poss. mitt. l.si ventri ff. de priuil. credit. l.bonorum ff. de

cu-

curat.fur. Item hæreditas iacens l. si quis instituatur §.item ff.de hæred. instit. l.debitor, ad princ.ff.de negot. gest. l. cum deliberant ff.de curat.fur. Item absens, ac infirmus ead. l.si quis instituatur §.fin.& l.ab hostibus ff.ex quib.caus.maio.& l.cū cognatos C. de postlim.reuers. Item omnes, qui rebus suis superesse non possunt l.2.ff.de curat.fur.

2 Meretricem † autem cum his non connumero, quia nunquam curatoris regimine opus habet, licèt contra sit quorundam sententia, desumpta ex textu, & glo. in l. & mulieri ff.de curat.fur.cuius quidem textus exquisita elegantia, pro decisione quæstionem introduxit, non secus, ac si medicus febrim excitaret: etenim ibi non meretrici, sed mulieri prodigæ bonis interdicendum esse statutum est: & quamuis lex illa meminerit mulieris luxuriosè viuentis; attamen illud, luxuriosè, secundum ampliorem significationem, prodigitatem denotat, iuxta tex.& glo. in verbo luxuria, in l.ex damni ff. de damno infe.l.1.ad fin.& glo.ibi ff. de ædilitio edicto l.penult.ff.de incend.ruina, & naufr. voluit nanque iurisconsultus postquam de curatore prodigo dando locutus fuit, idem de prodiga quoque specificare, quamuis necesse non

esset:

esset: idque manifestè ostendit oratio, quæ sequitur ibidem, de furioso, vel furiosa, & lex præcedens, quæ loquitur de mentecapta: quemadmodum de fatuo, & fatua loquitur l.2.ff.de postul. & de damnata, & deportata l.quinque, cum l.sed si ff. de bon. damnator. imò d.l.& mulieri, de meretrice nullatenus loqui potuit, quia non aliter præsumptio est, quòd ipsa, sicut est prodiga personæ suæ, ita & bonorum suorum sit, non obstante cit. glo. ibi: quandoquidem meretrices, non ad dilapidationem, sed ad quæstum tendunt l. palā ff. de ritu nupt. malignisque adulationibus amasios spoliare solent, vt ex l.2.C. de donat.int.vir.& vxor. prout Ouid. 1. amor. 10. *Sola viro mulier spolijs exultat ademptis*, &c. ac allusione quoque vocabuli attenta, meretrices à merendo dictas esse, quòd mercede suam exerceant militiam, ait Valla lib.4.cap.
3 110. adeò, vt lupæ † dici mereantur: cui cognomento dedit initium Acca Larētia, Faustuli pastoris vxor, quæ Romulum, & Remum lactauit: etenim propter vulgati corporis quæstum, lupa inter pastores, idest meretrix nuncupata fuit, Lactant.lib.1. diuin. instit. cap.20. & Diu. Augustin.de ciuit.Dei, lib.18 cap.21. eamque ad opum affluentiam deuenit,

nit, vt cum populũ Romanum hęredem reliquisset, ab eodem grati animi ergo, aram, statuam, anniuersariumque inter fastos dies annumeratum promeruisse, legitur apud Alex. ab Alex. genial. dier. lib. 1. cap. 26. similia de Flora scripta sunt, quæ cum magnas opes corporis quæstu cumulasset, populum Romanum scripsit hæredem, ac ab eo inter deàs cum anniuersario culta, ita nuncupata fuit, quòd floribus ad fructuum productionẽ præesset. Lactant. loco modò cit. & idẽ Alex. lib. 6. cap. 8. sed hanc eandem esse cum Acca Larẽtia quidam putant, vt innuit. Ludou. Viues in Diu. August. de ciuit. Dei, lib. 4. c. 8. & colligitur ex eisdem auctoribus ibidem, ac alijs primæ classis, propter similia, quæ de vtraque scripserunt: & præter has Laidem Corinthiam, Lamiam Demetrij, Thaidem, & alias quamplures meretricio quæstu ditatas legimus: & nonnunquam videmus meretrices ita locupletes euadere, vt cum ad bonam frugem reuertunt; amasijs etiam nobilibus præ dotibus pinguibus nubant. Itaque nulla ratio suadet, ei quæ lucris inhiat, legem curatorem dare voluisse vti prodigæ pro bonorum cõseruatione: quod esset quoque incompatibile, vtpote directè contra legem,

gem,

gem, quæ huiusmodi mulieribus fauorem denegat, vt ex l.his solis §. actionem C. de reuoc.donat.& glo.fin.in l.ea,quæ C. de donat.ante nupt.quemadmodum Domitianum Cæsarem, facultatem accipiendi legata, & hæreditates illis ademisse, refert Sueton. in eiusdem Imperatoris vita cap.8. & meritò legum auxilio destituendæ sunt, ne aliàs libidinem leges fouere viderentur, quod prohibetur in l.legem §.in posterum C. de natura-lib.liber.& in Auth.scen.nō sol.consequeretur nanque meretrix priuilegia pupillaria, quæ competunt omnibus sub curatore degētibus, vt nuper sub n.1. dictum est: sicque propter malos mores, fauorem reportaret, quod permittendum non est l.relegatorum §. fin. ff. de interd. & releg. & esset quidem hæc interdictio fauorabilis pro meretrice, nam odiosa non est, nisi vbi datur creditoribus, vel fisco instantibus: tunc enim agitur de auferendis bonis, alijs autem casibus, de conseruandis, vt ageretur in casu præsenti. Insuper curatorem huiusmodi nunquam datum audiui, sicque d.l. & mulieri, etiam ratione praxis,quæ seruatur interpretanda est, vt nunquam de meretrice loquatur l.si de interpretatione ff. de legib.

4 Ne-

4 Neque in supradictorum catalogo † auarus includitur: quandoquidem ipsi non est bonis interdicendum, vel curator dandus, contra Bald. in l. fin. sub n. 16. C. de sent. pass. qui videtur id affirmare ad similitudinē prodigi per maximam, quòd eadem sit contra-
5 riorum disciplina: † quoniam, & si auarus, & prodigus contrarij sint, cum ille tenenda teneat, atque non tenenda, hic danda det, atque nō dāda, vt per se patet, & legitur in glo. in §. item prodigus, Instit. quib. non est perm. fac. test. & in glo. in cap. ex parte, extra de cōsuetud. nihilominus hęc maxima viget in cōtrarijs tantùm, vt ex l. qui proprio, §. procurator ff. de procurat. non autem in rationibus contrariorum, vbi diuersitas inuenitur, l. si negotia, & l. si quis 24. ff. de negot. gest. l. si quis putans, §. 1. ff. communi diuid. l. sed & socius §. si absenti ff. pro soc. ita Cyn. in l. vnica §. pro secundo, in 7. opposit. C. de cad. toll. & Bart. in l. inter stipulantem §. sacram, sub n. 4. ff. de verb. oblig. Et sanè inæqualitas rationis est inter auarum, & prodigum: etenim curator, siue interdictio, nulla lege auaro datur, & si legislatores id voluissent; vtique decreuissent, nam ardorem auaritiæ detestantur in §. an certè Auth. vt iud.

sine quoquo suffr.& in l. si quemquam C. de episc. & cler. & nihil penitus de hoc, neque ibi, neque alibi iure cautum reperitur: ergo à nobis quoque omittendum est,arg.tex. in §.cum igitur, vers.sin autem, Auth. de non elig. ibi,*nec qualibet est lex aliquid tale dicens.* Quinimo fuisset quidem inutile curatorem
6 auaro decerni, quoniam ipse tres † habet à natura maximæ authoritatis curatores, tenacitatē,in extremo saltèm resecantes, crumenamque ad erogandum aperientes,qui sunt, fames,frigus, & pudor indecentis cultus, vt Lucret.lib.3. *sollicitè euolitant morbis, algoque, fameque,* & Liuius lib.4.deca. 4. *pessimus quidem pudor est, vel parsimoniæ, vel paupertatis*: sed si tantæ sit abiectionis,vt pudore contempto sordidis ob auaritiam vtatur vestibus; eas sufficit sine curatore prohibere, quemadmodum in l. vestem sordidam ff.de iniur. prodigo autem expresse interdictionem decerni, curatoremque dari leges volunt: idque statuere oportuit,etenim alioquin nullo fræno dissipatio temperaretur. Neque auaritia in alterius præiudicium durare potest: quoniam ipsamet tutum depositum est, vtpote rem integram,nempe facultates indiminutas conseruans:prodigitas ve-
rò

rò secus, vt per se patet. Præterea nunquam auaro curatorem datum audiui, quapropter ita seruandum est l. minimè ff. de legib.

Tandem tres tantùm appendices notabo ad materiam conferentes. Prima est, quænã
7 sit ratio sequentis differentiæ inter † prodigum, & furiosum: nam palàm est prodigum semper validè agere quousque à iudice bonis interdictus fuerit l. is cui ff. de testam. §. item prodigus Inst. quib. non est perm. fac. test. furiosum verò statim ac furere cœpit ad agendum inhabilem esse ostendit glo. in l. is cui ff. de verb. oblig. & in l. 1. ff. de curat. fur. & quidem ratio est, quia prodigus ex gestis, & sermonibus videtur sanæ mentis, in factis autem furiosus l. his qui §. fin. ff. de tutor. & curator. dat. quamobrem talis declarandus est à iudice, aliàs eius prodigitas non cognosceretur, & contrahentes cum eo decepti restarent, si contractus esset infirmus, secundùm l. sed & si §. item ff. de instit. act. furiosus verò loquela manifestatur talis l. quidam ff. de cond. inst. l. idem Iulianus §. constat ff. de leg. 1. idcirco quilibet eius commercium vitare debet: alioqui non excusatur, si damnũ simile patiatur, iuxta l. nec supina ff. de iur. & fac. ign. l. & si §. ignorãtia ff. de contrah. empt.

Idem dicendum esse non ambigitur de omnibus insanis, qui loquela inhabiles manifestantur, vt ipso iure inualidè agant, vt patet ex aperto textu in l.2.ff.de inoff. test. neque ratio reddi potest cur non idem, quod in furioso, in his quoq; sit, iuxta glo.1.in §.furiosi, cum tex. quem allegat in l.à Titio, in fine ff. de verb.obl. & facit text.in l.non possunt, cũ l.seq. ff. de legib. nec ad rem pertinet illos speciatim distinguere, puta amentem, mentecaptum, stultum, fatuum, ac cæteros, quamuis ita variè nominari contingat, nam plerũque confusè nominantur: nec in alio exorbitat ab his furiosus, quàm in agitatione cum quadam animi rabie, vt bene Alciatus lib.2. parerg.cap.16. & quanquam contrarium dixerit Cic.lib.3. Tuscul.nempe furioso, non autem alijs insanis legem duodecim tabularum bonis interdixisse, iuxta l.1.ff. de curat. fur.tamen leges habemus, vt idem sit in cæteris mentecaptis, & vt ipsi quoque ipso iure inualidè agant, vt modò dictum est: excipit enim Cicero à necessitate curatoris, insanos, quibus mentis reliquię remanẽt: quod non negamus, dum illi rebus suis adhuc superesse valent: ijs nanque curatores tunc esse dandos legimus, cum ad id inhabiles eua-

se-

ferunt: idque prætor legi duodecim tabularũ addidit §. sed & mentecaptis, Inst. de curat. & l. 1. §. fin. cũ quatuor sequẽtib. ff. de postul. quã sanè additionẽ Cicero nõ cognouit, cùm floruerit ipse temporibus Octauiani Augusti, longè ante Iustinianei iuris compaginatio-
8 nem. Hinc † mutus, & surdus simul, qui rebus suis superesse non valet; eadem ratione nullũ actũ agit ipso iure: quia nõ loquẽdo, inhabilẽ se manifestat, vt per se patet, & in l. mutum ff. de ædil. edic. ac etiam non audiendo §. mutũ Istit. de inutil. stip. & hic textus dicit idem de muto tantùm, ac de surdo tantùm.

9 Secunda appendix est, per solam † dationẽ curatoris absque alio iudicis decreto, censeri statim administrationem interdictam, vt doctores volunt in l. is cui ff. de verb. oblig. cõtra Angel. ibid. & allegant l. si curatorem C. de in integ. rest. min. quod apertiùs probatur ex argum. eiusdem l. si curatorẽ: dicitur enim ibi curatorẽ habens, facere actũ nullũ ipso iure: vnde oritur consequentia, quòd propter solũ curatorẽ interdictio inducatur: & id etiã quia inclusio curatoris ad administrationem alienorũ bonorũ, est necessaria exclusio domini ab eadem administratione, vt patet ad sensum, & colligitur ex l. illud ff. de acq. hær.

Ter-

10 Tertia appendix est, † tempora pro restitutione obtinenda competere istis, qui sub curatore manent, intra quadriennium continuum aduersus gesta cum decreto, ex die tamen quo agere possunt: vel intra quinquẽnium aduersus gesta sine decreto, ex die quo nouerint læsionem, vt in cap. præced. dictum est de minoribus, quibus isti exæquantur, vt hic in principio: sed quemadmodum in minoribus hęc tempora currere possunt, ex quo curator cessat; ita in istis, nempe ex quo experiri possunt, vt currebat annus antiquitus, de quo in l. 1. ff. ex quib. caus. maior. & in l. 1 ff. quæ in fraud. cred. Vbi autem isti potestate agendi carerent, vel læsionem ignorarent, vel ex causa lucratiua aliquid alienatum inuenirent; non nisi præscriptione triginta, vel quadraginta annorum excluderentur, vt similiter de minoribus in cap. præcedenti dictum est.

Præter hactenus dicta de reuocatoria extraordinaria, ratione restitutionis in integrũ; perquire quod de reuocatoria ordinaria in communi discurritur infra cap. 9.

CAP.

CAP. VII.

De Reuocatoria ex causa illorum, qui damnosam interdictionem patiuntur.

SVMMARIVM.

1 *Interdicti ad sui damnum qui sint, & qualiter, & ex quo tempore tales fiant.*

2 *Notorium non est æquale, sed proximũ sententiæ.*

3 *Condemnati antiquitus, aut solum quæ iuris ciuilis sunt amittebant, aut fiebant serui pœna, & priuabantur commodis iuris ciuilis, & gentium.*

4 *Seruus pœna hodie nemo fit, qui bene natus est: unde illegitimi, & in seruitute nati excipiuntur; nisi habiles facti sint.*

5 *Bonorum publicatio quomodo procedebat antiquitus: quomodo hodie.*

6 *Condemnatus, & proscriptus ubi bona non amittunt, illa validè disponunt, cùm persona libera sit.*

7 *Relegato, & condemnato ad carceres bonorum administratio non aufertur.*

8 *Carcere detentus quando inualidè agat, vel*

ex

ex eo actu restituatur in integrum.

9 *Deportatus amittit vniuersa bona, etiam futura.*

10 *Bonorum publicatio quando non extendatur ad bona futura.*

11 *Bonorum administratio reo non prohibetur antequàm condemnetur: neque post sententiam, à qua appellauit: & quando dicatur alienare in fraudem.*

12 *Condemnatus, & proscriptus, quando puniri, vel eorum bona auferri possint extra territorium iudicis condemnantis.*

13 *Iudex quando teneatur auxilium præstare iudici alienæ iurisdictionis.*

14 *Condemnatus, & proscriptus, quorum bona fuerunt publicata, disponunt alia bona sua, extra locum iudicis condemnantis existentia: & vbique administrant aliena bona.*

15 *Ius commune non cogit principem, vel iudicem vnius regni, vt alteri alterius regni opem ferat: sed id ex conuenientia seruandum est: ius autem commune canonicum omnes simul cogit.*

16 *Condemnatus, & proscriptus restituti ex indulgentia principis; quando, & quæ bona recuperent: & in numero sequenti.*

17 *Religiosus, qui non possidet in communi, vel in par-*

particulari, si ad episcopatum promotus sit, vel ad laxiorem religionem dimissus; quæ bona recuperet ex ijs, quæ in seculo reliquit.

18 *Princeps pro vtilitate vnius, potest alteri paruum præiudicium inferre: sed pro vtilitate publica magnum: imò bona potest auferre, soluto tamen iusto pretio.*

19 *Principis qualiter omnia esse dicantur.*

20 *Excommunicato non interdicitur bonorum administratio.*

EX minoribus, & alijs, qui vtilem interdictionem sortiuntur, transeamus ad eos, qui patiuntur interdictionem damnosam: &
1 sunt. † Decoctor l. 2. & toto tit. ff. de curat. bon. dando. Debitor suspectus l. si fideiussor §. si satisdatum, & glo. ibi ff. qui satisd. cog. cũ l. de pollicitationibus ff. de pollicit. Debitoris hæres pauper l. si creditores ff. de priuil. cred. Proscriptus, & condemnatus, cui vita, vel ciuitas adimitur, vel seruitus irrogatur, vt in tit. ff. & C. de bon. damnator. quod tamen intelligitur, & temperatur, vt infra. Hæreticus, eiusq; fautores l. Manichæos, & toto tit. C. de hæret. cap. sicut ait, & cap. vergẽtis, extra eod. Apostata, eiusq; fautores l. 1. & toto tit. C. de apostat. cum l. venerandi C. de pa-

gan. Rebellis, eiusque fautores l. quisquis, cū l. seq. C. ad leg. Iul. Maiest. & alij in l. 1. ff. de iure fisci. Non tamen loquimur de bonis istorum, quæ sub curatore custodiri contingit: quia tunc in gratiam creditorum, vel fisci, bona cōseruantur, vt est exemplum in bonis decoctoris in gratiam creditorum l. 2. & l. fin. ff. de cur. bon. dādo: & fruūtur eiusmodi bona, siue creditores omnibus priuilegijs eorum, qui sub curatore manent: quoniam omnibus sub curatore manentibus eadem priuilegia conceduntur: vt in præcedenti cap. dictum est: sed loquimur de personis interdictis, qualiter facultate contrahendi, bonaq; sua administrandi careant: vt secundùm nostrum institutum videamus quādo illorū pecunia soluta, siue res alienatę reuocādæ sint.

Pręmittendum autem duxi, quando isti dicantur interdicti: & quidem decoctori, ac alijs debitoribus, vt supra; non nisi per iudicem bonis interdicitur, vt in l. qui autem §. sciendum ff. quæ in fraud. prout etiam proscriptus, & damnatus, non nisi sententia mediante, tales declarantur, & interdicuntur l. post cōtractum ff. de donat. l. si quis posthac C. de bon. proscript. l. 2. ff. de bon. damnator. vt eorum quoq; nomina passiua demonstrāt.

Hæ-

Hæreticus autem, & apoſtata cõtrahunt vſq; ad annum, ex quo vti tales, excommunicati declarantur, auth. credentes C. de hæret. canonizata in cap. excommunicamus itaque §. credentes, extra eod. tit. Rebellis tandem, nedum ipſo iure talis fit l. quiſquis C. ad l. Iul. Maieſt. verùm etiam ipſo iure declaratur talis, vt in extrauag. in tit. qui ſint rebelles, In vſib. feud. veruntamen iſta legis declaratio nihil operatur: poteſt enim lex declarare ius, non autem factum, niſi probetur, & fiat iuris notorium: itaut ſententia mediante ſciatur factum eueniſſe, propter quod mereatur quis eſſe interdictus ipſo iure, cùm ſententia pro veritate habeatur, vt glo. ſub verbo, cõdemnatus, in ead. extrauag. per tex. in l. res iudicata ff. de reg. iur. & eſt tex. in l. ingenuum ff. de ſtatu hom. imò quouſque rebellis toleratur, valent geſta per eum, vt notat glo. in ead. extrauag. ſub verbo, rebellando, vltra med. per tex. in l. Barbarius ff. de offic. prȩſid. & in l. ſi arbiter C. de ſent. & interloc. vnde bene dixit Bald. in cap. vnico, in princ. qualiter dom. propr. feudi priu. per eundem text. ibi, *apertam feloniam*; quòd vbi agitur de priuando aliquem, licèt notoria ſit eius culpa, requiritur tamen ſententia, quæ priuet:

ſed in rebelli ſufficit ſola ſententia, quæ declaret, vt dictum eſt. Neque verum puto quod aliqui ſcribunt in l. is cui ff. de verb.
2 oblig. nempe † notorium æquiparari ſententiæ, per tex. in l. emptorem ff. de act. empti, ſed eſſe proximum ſententię, hoc eſt æquiparari pleniſſimis probationibus, ita vt ſuper notorio, immediatè ſententia ferenda ſit: quippe hic videtur ſenſus huius vltimi textus in l. emptorem: quemadmodum Bald. in l. 1. n. 5. C. de curat. fur. & in l. is cui, nu. 2. ff. de teſtam. & in l. fin. n. 11. C de ſent. paſſ. dixit notorium non æquiparari ſententię ad inducendum, vel prohibendum, ſed ad declarandum aliquid: & allegat eandem l. emptorem ff. de act. empti, & l. quod ad ſtatum ff. de pœn. cum alijs.

Quod attinet ad decoctorem, debitorem ſuſpectum, ac hæredem debitoris pauperem, ſatis diſcuſſum reperietur infra cap. 9. quando ſolutio à debitore, vel eius hærede facta, reuocari poſſit creditoribus inſtantibus. Pro-
3 ſcriptus † autem, & condemnatus, iure antiquo attento, quæ iuris ciuilis ſunt amittebāt, inter quæ connumeratur teſtamenti factio, tam actiua, quàm paſſiua l. 1. §. ij ff. de leg. 3. cum l. quidam, & ibi glo. ff. de pœn. quæ verò iu-

iurisgentium retinebant, vt emere, vendere, ac omnes ferè contractus celebrare, vt in ead.l.quidam, cũ §.ius autem gẽtium, Inst. de iure natur. præter tamẽ eos, qui serui pœnæ fiebant, quoniam nullatenus administrare poterant, vt in metallum damnati, vt ex ead.l.quidam, modò cit.& in l.in metallum
4 C.de bõn.proscript. Hodie autem † quælibet seruitus nouo iure sublata est: nemo enim bene natus possidetur à supplicio, sed remanet liber §. quod autem, Auth.de nupt. quamuis reus mortis esset, cõtra glo.in auth.sed hodie C.de donat.int.vir.& vx. quia textus in eod. §. quod autem, generaliter, & indistinctè loquitur negando seruitutem, & affirmando libertatem in bene nato: ergo generaliter, & indistinctè accipiendus est l.1.§.generaliter, & glo.ibi ff.de legat. præst. cum l. de pretio ff.de public.in rem act. quemadmodum Salyc.in ead.auth.sed hodie: vnde spurius cum non sit bene natus, remanet seruus pœnę, iuxta glo.in l.qui vltimo ff.de pœnis: eademque ratione alij cuncti, qui ex legitimo matrimonio nati non sunt, & qui in seruitute nati sũt, nisi ad legitimum statum illegitimi reuocati sint, vel per dispensationem iuris, vt sunt filij naturales, vt in tit.C.de natural.liber.& Auth.

quib.

quib.mod.natural. effic.legit.vel per dispensationem principis, vt sunt, qui nascuntur ex damnato coitu, vt ex l.qui in prouincia §. diuus ff.de ritu nupt.& nisi serui nati, natalibus restituti fuerint: etenim restituti, perinde ac ingenuè nati prorsus habentur, vt in l.2.3.& vlt.ff.de natal.restit.

Sed quamuis proscriptus, & condemnatus bene nati, valeant omnes actus celebrare tanquam liberi à dominio pœnæ; attamen antiquitus remanebant etiam serui Cæsaris quodammodo: hoc est non quantùm ad personam, cũ verè serui Cæsaris non essent, iuxta l.3.ff.de ijs,quæ pro non script. hab. & l. quidam ff. dè pœnis: sed quantùm ad bona,
5 † quæ illis auferebantur vti publicata, vt in tit.ff.& C.de bon.damnator. solutioque,siue alienatio, ab eis facta reuocabatur, vtpote in fraudem fisci l.fin.ff.de portion.quę lib.damnator. veruntamẽ id variè temperatum fuit, vt in l.quandò C.de bon. proscript. & alibi: & tandem iure quoque nouissimo temperatur, vt bona priùs descendentibus,vel ascendentibus ad tertium vsque gradum applicẽtur, & eis deficientibus tempore publicationis; applicentur fisco: excepto crimine læsæ maiestatis, vbi vetera iura seruantur §. fin.

Auth.

Auth, vt nulli iudic. adeoq; multò magis excipitur crimen læsæ maiestatis diuinæ cap. vergentis, extra de hæret. auth. Gazaros C. eod. & quamuis in auth. bona damnatorum C. de bon. proscript. legatur etiam laterales tertij gradus præferri ante publicationem; tamen in corpore, vnde sumitur, nempe in d. §. fin. nullatenus id colligitur: neque potest intelligi de lateralibus, quia secundùm Fulgos. in ead. auth. bona damnatorum, cum fiscus excludat descendẽtes post tertium gradum; multò magis excludit laterales omnes, qui excluduntur à descendentibus quãtumuis remotis, vt in Auth. de hæred. ab intest. venientib. iuxta vulgatum axioma; si vinco vincentem te, multò magis vinco te l. de accessionibus ff. de diuers. & temp. præscript. Huic rationi tamen opponitur, quòd etiam ascendentes vincuntur à quarto gradu descendentium, vt in eod. Auth. & sic fiscus, etiã contra ascendentes, vteretur eodem axiomate, si vinco vincentem te: sed respondetur ascendentes esse vocatos expresse in textu post descendentium tertium gradum: in expressis enim fallit axioma: prout alia exempla ponit glo. in ead. l. de accessionibus. Vtinam laterales vocati essent post tertium gra-

dum

dum ascendentium, quippe humaniùs esset fratres, eorumque filios excludere fiscum. Sed circa publicationem, vel ademptionem bonorum pro delictis; vix regio, siue municipium reperitur vbi peculiaris constitutio
6 deficiat. In summa † vbi bona non auferuntur; libera facultas disponendi bona sua proscriptis, & condemnatis est: itaut pecunia per eosdem soluta, vel res alienatæ reuocari non possint: cum alioquin serui pœnę non sint, nisi & hæc seruitus à statuto sit indicta: præter hæreticum, apostatam, & rebellem, in quos antiqua iura integrum rigorem publicationis bonorum retinent, vt dictum est: itaut solutio, siue alienatio per eos facta, reuocetur l.fin.ff.de portion. quæ lib.damnat. iũcta l.maiestatis C.ad leg.Iul.maiest.Infidelibus autẽ antiquæ sectæ permittitur suorum bonorum administratio, vt habetur ex titulis canonicis,& ciuilibus, de hæret.de iudæis,& similib. videmus enim tolerari iudæos, & aliquos ex partibus infidelium ad orthodoxa nostra loca commercij causa commeantes: nos enim loquimur de peruersis ab orthodoxa fide, sub cuius cultu nati sunt.
7 Notandum est autem relegatum † administrare posse, quia bona nõ amittit, sed fines
tan-

tantùm excedere non poteſt, niſi perpetua ſit relegatio: quo caſu pars bonorum adimi poteſt ſi ſpeciatim ſententia mediante adimantur l. relegati, & l. relegatorum, §. ad tempus ff. de interd. & releg. imò videntur tunc vniuerſa bona publicari poſſe l. deportatorum C. de pœn. prout etiam in cauſa negotiationis illicitæ l. 1. §. ſi quis C. de monopol. l. fin. C. de cõmerc. & mercator. Eadem de relegato repetenda ſunt in condemnato ad carceres propter eãdem rationem: quia quemadmodum ille clauditur intra fines; hic intra parietes: & conſequenter quemadmodum ille nõ patitur bonorum publicationem, niſi perpetua ſit relegatio; ita neque hic: & facit l. in fraudem §. 1. ff. de iure fiſci. Veruntamẽ ad carceres condemnatio, improbatur à iure ciuili, præſertim ſi perpetua ſit: quia carcer ad cuſtodiam datur, non ad pœnã l. aut damnum §. ſolent ff. de pœnis, cum ſimilib. ſed approbatur à iure canonico cap. quamuis; de
8 pœn. in 6. reuocantur † tamen vt inualida, quæ detentus in carcere geſſit ad fauorem eius, qui detentionis cauſa fuit, vel particeps in ea cauſa: idque non ratione interdictionis, ſed ratione metus, quem carcer inferre videtur l. qui in carcerem, cum glo. & rubr. ff. de

eo quod met. ca. vel reuocantur ex capite restitutionis in integrum ex clausula generali si probetur læsio propter carceris impedimentum l.2.C.quib.ex ca.maio. Deportatus
9 † autem atrocissimam patitur exilij pœnam: quia ciuitas, & quæ iuris ciuilis sunt, ei adimuntur, & æquiparatur condemnato ad perpetuò seruiendum in opere publico l. quidā ff.de pœnis: imò deportatio successit in locum interdictionis aquæ, & ignis l. 3. ff. ad leg.Iul.pecul.l.2.§.1.ff. de pœnis, quare integram patitur bonorum amissionem, etiam eorum, quæ post pœnam irrogatam acquisiuit l.2.C.de bo.proscript.nec obstat l. si mādauero tibi, vt pro me §. is cuius ff. mandati: vbi publicatis bonis, quicquid acquiritur postea non publicatur: clauis enim aperiens hos duos textus,est l. 1.§. fin. ibi, *post condemnationem* ff. de portion.quæ lib. damnator. nimirum,quòd † publicatio bonorum
10 eius, qui ciuitatem retinet, puta relegati, nō extendatur ad bona futura, & sic locum obtinet d.§.is cuius: bonorum autem eius, qui ciuitatem amittit, vt est deportatus, ad futura porrigatur, & sic obtinet locum d.l.2.Ante
11 † condemnationem verò non prohibentur criminosi credita exigere, ac debita persol-

soluere l.reo, cum l.seq.ff.de solut.imò neque post condemnationem, à qua fuit appellatũ: quamuis appellatio exinde non recipiatur, vt in l.fin.ff.de portion.quę lib.damnator.nisi in fraudem fisci solutio, siue alienatio facta fuisse probetur l.in fraudem ff. de iure fisci, cum l.1.C.eod.tit.lib.10.imò alienatio, quæ fit paulò ante, quàm crimen committatur; venit reuocanda, cùm absq; probatione præsumatur in fraudem imminentis bonorum publicationis, vt in d.l.1.§.fraudis, eod. tit. de portion.quæ lib.damnator. & conferunt, quæ infra cap.9.habebimus de solutione facta in fraudem futuri creditoris. Hæc autem fraus cessat in bonis, quę cum criminosus potuisset acquirere, nõ acquisiuit, & ab alio apprehendi procurauerit l.cum quidam. ff. de iure fisci.

12 Notandum quoque est, aliquem † non dici condemnatum, vel proscriptum, extra territorium iudicis condemnantis, neque ipsius bona consanguineis applicanda, vel publicanda esse, si reperiantur extra idem territorium, etiam si quid in fraudem solutum, vel alienatum fuerit, ac eò translatum, ne cõsanguineis, vel publicationi supponeretur: in territorio nanque iurisdictio clauditur, &

extra non extenditur, neque circa personas, neque circa bona condemnati l.fin. ff. de iurisd.omn.iud.l.cum vnus §. is qui ff. de bon. auctor.iud.poss. §. hæc considerantes, Auth. vt omnes obed.iud. cum similib. nisi aliena territoria confœderata essent, secundùm Bart.in l. 1.num.44.C.de Summa Trinit. per tex.in l.non dubito, in fine ff. de captiu. & facit l.ille, à quo §. tempestiuum ff. ad Tre-
13 bell. Neque † iudex extra territorium sentẽtiam iudicis criminis executioni demandare potest: sed reum capere, ac ad eum trãsmittere tenetur, à quo puniendus est: quod speciale est in delictis, vt glo.in auth. si verò C. ad leg.Iul.de adult. per tex.in l.1.C.vbi de crim.agi opor. & in §. necessitatem, Auth. vt iud.sine quoquo suffr.& glo.1.in l.à Diuo Pio §.1.ff.de re iud.per tex.in §.si verò quis comprehensorum, Auth. vt nulli iud. non obstante eod.§.1. & l.argentarium §.1. ff. de iudic. quia loquũtur in causis ciuilibus,& ratio quidem huius differentiæ inter causas ciuiles, & criminales est, quia debitor vbique obligatus est l. 1. C. vbi conueniatur, cum similib. proscriptus autem,& condemnatus, non sunt vbique puniendi: & consequenter nec vbiq; patiuntur pœnam amissionis bonorum: sed
in

in locis determinatis, vt in l. 1. & in auth. quã in prouincia C. vbi de crim. agi opor. & in §. necessitatem, modò cit. Neque obstat l. ex ea ff. de postul. quia loquitur quantùm ad solam denominationem extrinsecam, non quantùm ad punitionem: ita vt infamis ab vno iudice declaratus; ita reputetur apud alios, vt glo. in l. 1. C. eod. tit. Neque credas, vt quidã volunt, bona extra territorium iurisdictionis, applicari saltèm fisco illius loci, nec inuicem iudices criminis, & loci, ad id consentire posse in tertij præiudicium: esset enim puniri ab incompetenti iudice: siquidem competens in loco, est incompetens in crimine: cõpetens in crimine est incompetens in loco,
14 secũdùm hæc allegata. Quinimo † condemnatus, & proscriptus, quorum bona publicata sunt, valent in loco criminis absque metu reuocationis alienare bona, & pecuniam soluere, quæ extra illam iurisdictionem habent: quia quantùm ad personas, nõ sunt serui pœnæ hodie, ita vt vbique bona sua disponere possint, & quantùm ad bona, cùm sint extra locum iurisdictionis condemnantis; non sũt publicationi subiecta, vt per eadem supra allegata. Hinc est vt multò magis aliena bona vbique possint administrare. Imò etiam

eędem

15 eędem † leges, quæ in causis ciuilibus iubēt iudices executioni demandare sententias in aliena iurisdictione prolatas, & in criminalibus delinquentē capi, & transmitti ad iudicē criminis; non ligant hodie, nisi iudices eiusdem regni, non aliorum regnorum, etsi sub eodem principe subsint: nisi principis iussu accedente l.ille à quo §. tempestiuum ff. ad Trebell.eòque minus ligant iudices diuersorum principum: loquuntur enim illę leges de diuersis prouincijs, sed omnibus Romano imperio tunc subiectis, quare poterat imperator vni iudici præcipere, vt alteri alterius prouinciæ auxilium præberet: sed hodie non idem princeps dominatur omnibus, & quāuis multis principibus sit idem ius commune; nihilominus vnicuique particulare est, quia vnus alteri non subijcitur: remanet tamen inter eos conuenientia, vt inuicem sibi opem ferant, propter eandem rationem, & mētem earum legum: de qua vrbanitate loquitur tex.in Clem.pastoralis § quod si punitio, ibi *de more remissus*, & glo.ibi, extra de sent.excom. & glo.in l.si cui §.fin.ff.de accusat. idq; maximè inter finitimos, ac vicinos, ne facilis sit debitori, & criminoso transitus ad locum tutum, in eorūdem principum, & iustitię con-

tem-

temptum, & in creditorum maximum præiudicium. In crimine verò læſæ maieſtatis Diuinæ, vbique locorum procedit eccleſiaſticus iudex, cap. vt commiſſi, de hæret. in 6. quia ius commune canonicum, ſub vno regitur, qui eſt Romanus Pontifex, caput vniuerſæ militantis eccleſiæ, cap. cuncta, 9. qu. 3. qui felici noſtra tempeſtate eſt Clemēs Nonus, ſanctitatis, omniumque virtutum fulgore conſpicuus.

16 Si autem quis ex his,† qui bonorum publicationem paſſi ſunt, indulgentiam principis aſſequatur; non quidem bona recuperat l. in metallum C. de bon. proſcript. niſi ſpeciatim bonis quoque reſtituatur l. 1. & 2. C. de ſent. paſſ. dummodo non ſint in alium translata, vt Bart. in l. Gallus, §. & quid ſi tantùm, ſub n. 11. cum glo. ibi, emācipatus ff. de liber. & poſth. qui allegat. l. fin. C. de repud. hæred. cum alijs & confert tex. in cap. quamuis, de reſcript. in 6. Verùm ſecundùm hæc allegata, reſtitutus ea bona nō recuperat, quę nunquā habuit in re, ſed in ſpe, vti delata, ſed habuiſſet in re, niſi damnatus fuiſſet: nihilominus idē eſt vtroque caſu, quia nec ea recuperat, quæ tempore damnationis poſſidebat, ſi ad alios tranſlata reperiantur, idque alia ratione firmatur,

quia

quia gratia principis nunquam intelligitur in alterius præiudicium redundare l.2. §. si quis à principe ff. ne quid in loco publ. l.nec auus C.de emancip.liber.cum similib. rectè nanque bona illa fuerunt alienata per descẽdentes, vel ascendentes, vel fiscum, quibus applicata erant, vti propria facta, iuxta cit. §.fin. Auth.vt nulli iud. quod etiã dixit Bart. in fine tractatus minoricar.in vers.contingit:
17 vbi confirmat † idem eadem ratione in fratre minore,ad episcopatum promoto, vel ad laxiorem religionem dimisso, vbi potest in communi possideri, ne scilicet bona,recuperet, quæ tempore professionis reliquit,& postea in alium translata reperit. Tenentur tamen alienantes eo casu restituere omne id,in quo locupletiores ea de causa facti sunt,quẽadmodum si bona illa penes se consumpsissent, non secus ac tenetur bonæ fidei possessor hæreditatis, vt in l. sed & si §. item si res distraxit ff.de petit.hæred. nam fiscus in bonis publicatis habetur loco hæredis l. inter eos §.fin.ff.de fideiussor. l. tutoris C. ad leg. Iul. de vi: ita Bart.in cit.l.fin.n.7. C. de sent. pass.& sic etiam descendentes, & ascendentes, loco hæredis habentur, quia locum fisci occupant, vt in d.§.fin. Auth.vt nulli iud.nũ-
quam

quam tamẽ fructus medio tempore percepti, veniunt in restitutionem, vt Ang. & Alex. in d. l. Gallus §. & quid si tantùm ff. de liber. & posth. per tex. in auth. idem C. de hæret.

18 Et si quæramus an princeps † vni præiudicare possit in alterius vtilitatem; id procedit vbi expressè ita iubet, & cum hac notabili distinctione, nimirum, quòd pro vtilitate alicuius priuata, non nisi paruum potest inferre præiudicium alteri, vt in d. l. 2. §. si quis à principe, cum glo. ff. ne quid in loco publ. iuncta l. 2. C. de prec. imp. offer. sed pro vtilitate publica magnum §. sancimus Auth. de restit. & ea: imò etiam bona potest auferre l. item si verberatum §. item ff. de rei vendic. l. Lucius ff. de euict. quemadmodũ principes pro ineunda inter se pace seruare solent, vt alter alteri, vel deuotis illius, ciuitates, castra, & alia bona eis ablata restituat, licèt alienata reperiantur: vt quæuis quærela inter eos, & subditos cesset, & pax vndequaque composita remaneat: tenetur tamen princeps restituere pretium bonorũ, quę aufert, iuxta glo. in verbo, multò in l. Barbarius ff. de offic. prętor. & glo. fin. in l. si locus ff. queadmodũ seru. amitt. per tex. in l. serui C. quib. ex caus. serui pro præm. & glo. in l. fin. eod. tit. licèt ead.

N glo.

glo.in l.si locus, dixerit seruari contrarium, nimirum non solere pretium solui: siquidem glo.non videtur contrario inhærere, sed potiùs videtur ita dicere lamẽtando corruptos mores, quasi fateatur malum esse, quòd lex ibi allegata non seruetur: neque credendum est voluisse cõtra eandem legem sentire: esset enim iniquum, & contra prudentiam glossæ: & quamuis pretium modicum præstandum esse legamus, vt in l.item si verberatum §.itẽ, modò cit.illud intelligendum est non diminutũ, neq; modum excedens, sed modestum, & temperatum: hæc sanè est propria modici
19 significatio. Et quamuis omnia principis † esse dicantur; id nihilominus verum est quãtùm ad protectionem, non verò quòd iustè rem domino possit auferre, iuxta glo.1. in procem.Digestor.& glo. in l.Barbarius; modò cit.& glo.in l.bene à Zenone C.de quadr. præscript.per hunc, & alios textus: siue vt dixit Gothofr.in ead. l.bene à Zenone id intelligitur quantùm ad nudum imperium, non quantùm ad dominium: præterea nec integritas boni principis recipit lucrum ex aliena iactura, iuxta notata sup.cap.2.in fine.
20 Cum præfatis interdictis excommunicatum † non connumero: cuius quidem alienatio

tio non reuocatur, quia bona non amittit, & ea disponere, ipsi pmittitur, siue occultus sit, cap. inter dilectos, extra de donat. siue publicus, cap. quoniam multos, in fine 11. qu. 3. ita per hos, & alios textus Henr. Boich. in cap. veritatis, extra, de dolo, & contum. ita quoq; docet praxis, quæ est optima legum interpres l. si de interpretatione ff. de legib. esset igitur præter nostrum institutum hic immorari: imò conclusio ista reperitur ferè apud omnes canonici iuris interpretes.

Ad materiam hanc actionis reuocatoriæ, vide etiam supra cap. 2. de reuocatoria pro fisco, & infra cap. 9. de reuocatoria in communi.

CAP. VIII.

De Reuocandis mobilibus iure pignoris: & quæ, & quandiu mobilia sub pignore comprehendantur.

SVMMARIVM.

1 *Obligatio super mobilibus comprehendit etiam pecuniam, & durat quoad res pignerata durat.*

2 *Mobilium obligatione, ac appellatione continentur mouentia.*

3 *Nomina debitorum, quando mobilium, vel immobilium, vel utriusq; appellatione cõtineãtur.*

4 *Obligatione generali, bona futura comprehenduntur: ac etiam iura, & actiones futuræ.*

5 *Pecunia destinata ad prædiorum emptionem, non continetur sub obligatione mobilium, sed sub appellatione mobilium: & quid hoc importet.*

6 *Merces, seu venalia, qualiter, & quando sub obligatione contineantur, & vsq; ad tot. n. 10.*

7 *Obligatio specialis, res non perpetuò permansuras non continet, neque pecuniam repositam, vt mutuò daretur: prout neque sub legato continentur.*

8 *Mercium obligatio non durat, nisi dum merces extant penes debitorem: & alienatæ exierunt ab obligatione, quamuis creditor cauerit sibi, ne venderentur, & vt venditas reuocare posset.*

9 *Taberna obligata, merces, quæ minuuntur ab ea, exeunt ab obligatione: quæ verò augentur intrant: non tamen quæ augentur post mortem debitoris, nisi aliquid fieret causa complendi negotium cœptum à defuncto.*

10 *Merces emptæ, sed non extractæ à taberna, exierunt ab obligatione: non tamen eas reuocaret emptor, si iterũ venditæ reperirentur, & extractæ, sed actione ex empto cõtra vẽditorẽ ageret.*

11 *Mo-*

11 *Mobilia cuius exigui valoris esse debeant, ut ea distracta, creditor persequi non possit iure pignoris.*

12 *Consuetudo, legum omnium iustissima.*

13 *Mobilia ad quotidianum usum debitoris pernecessaria, sub generali pignore non continentur.*

14 *Obligatio nominis universalis, quod constat ex partibus distinctis, relaxat à pignoris nexu partes, quæ minuuntur, & amplectitur, quæ augentur: non tamen, quæ augentur post mortẽ debitoris, nisi aliquid fieret causa complendi negotium cœptum à defuncto, & usque ad tot. num. 23.*

15 *Obligatio nominis universalis non extinguitur, etiam si ad unam partem nomen redigatur, nisi prorsus extinguantur omnes partes.*

16 *Obligatio nominis universalis, quare partes, quæ separantur relaxat à pignoris nexu: partes verò, quæ uniuntur includit in pignore.*

17 *Pretium, & res empta ex pretio, quando loco rei venditæ succedant, & per tot. n. 23*

18 *Fictio submittitur veritati, ita ut extrema, quæ requiruntur in veritate, debeant esse habilia in fictione.*

19 *Pretium, & res empta ex pretio, non succedunt loco rei venditæ, nisi in universalibus capacibus pretij, seu pecuniæ, vel rei emptæ.*

20 Pre-

20 *Pretium, & res empta ex pretio, succedunt loco rei vendita in vniuersalibus, si claudātur sub vniuersali, non verò si separata relinquantur.*

21 *Obligatio nominis vniuersalis, quos fructus cō-prehendat.*

22 *Pretiū, & rem emptā ex pretio succedere loco rei vēditæ in uniuersalibus, operatur, ut res uendita liberetur à pignore, non tamen à dominio: & quid si dominus semel elegerit accipere pretium: & in num. seq.*

23 *Fideicommissi bona alienata, siue illorum pretiū, qualiter auocari possint.*

24 *Obligatio nominis totalis, quod constat ex partibus inter sese compactis, uel cohærentibus, uel nominis totalis simplicis; comprehendit mobilia, quæ perpetui usus causa ibi sunt, & quæ detracta sunt, ut ibidem iterum collocanda sint: & per tot. num. 26.*

25 *Mobilia separata à nomine totali obligato, exierunt ab obligatione: & quæ dicantur separata.*

26 *Mobilia separata dicuntur à nomine totali obligato, & exierunt ab obligatione, quæ scilicet effossa, & incisa sunt, quamuis in eodem loco obligato reperiantur, ut sunt lapides, ligna, & similia: & quamuis effossa, uel incisa sint post obligationem.*

27 *Obligatio rerum, quæ cum alijs miscentur, confun-*

funduntur, connectuntur, vel mutantur, qualiter duret, vel extinguatur: & quæ, & quãdo eiusmodi res his casibus separari possint inter se, vel communes fiant, vel mutentur in aliã speciẽ, nec ne: & per omnes numeros sequẽtes.

28 *Pecunia, bona fide mixta penes tertium, nec à pupillo reuocatur.*

29 *Diuisio vbi commodè fieri non potest, habetur ac si nullo modo fieri posset.*

30 *Aurum à quocũque metallo commodè separatur.*

31 *Obligatio extinguitur, vbi species obligata mutatur, ita vt ad pristinam naturam redire non possit.*

MAteriæ de actione reuocatoria congruit materia de reuocandis mobilibus iure pignoris. Videndum igitur, quæ, & quandiu mobilia sub pignore comprehendantur. Pla-
1 nè cum pignerantur † mobilia, siue bona vniuersa; singula mobilia in obligationem veniunt, ac si speciatim pignerata essent l. 2. in princ. C. de pignor. & insimul pecunia l. cum tabernam §. fin. ff. eod. nomine enim generis continetur species l. 1. §. conuentionis ff. de pact. prout sine demonstratione patet: sicque super eis pignus durat, quoad singulæ res pigneratæ durant l. sicut ff. quib. mod. pign. vel

vel hyp.solu.l.pignus C.de pign.act.itaut in quemcunque possessorem cũ sua causa obligationis transeant, non secus ac stabilia l. si conuenerit §. si fundus ff.eod.tit.

2 Sub obligatione verò mobiliũ † contineri mouẽtia,patet,quia veniũt appellatione mobiliũ,vt in l. 1 .ff.de re iud.& in l.mouentiũ ff.
3 de verb.sign.& an veniãt† nomina debitorũ; negat glo.in eadem l.mouentium, ea ratione, quia vt incorporalia moueri non posśũt: ac etiam quia in l. à Diuo Pio §.in venditione ff.de re iud. nomina distinguuntur à mobilibus: pace tamen glo.nomina etsi sint incorporalia; si tamen super pecunia, vel alijs mobilibus cõstituta sint, moueri possunt animo, vt quod Neapoli debetur,debeatur Romæ l.vnica C.vbi conueniatur: nec in d. §. in venditione distinguuntur nomina à mobilibus,eò quia non sint eadem, sed in gratiam creditoris,ne cogatur in primis accipere nomina, eò quia difficiliùs executio fiat super eis, vtpote contra debitorem debitoris, vt in d.l.à Diuo Pio §. sic quoque, cum glo.2.& fin. ratione igitur, ac auctoritate aliter dicimus:auctoritate scilicet,nomina inter mobilia comprehendi, annuit tex. in l.2.C.quando, & quib. quarta pars lib.10. vbi imperator

tor postquam de immobilibus locutus est, inquit, *mobiles autem res, uel se mouentes, uel instrumenta, uel si quid aliud in huiusmodi iure cõsistat*: ratione autem sic distinguendo solidatur conclusio: aut creditor actionem habet ad pecuniam, vel aliam rem mobilem; & nomen est mobile, aut ad rem immobilem; & nomen est immobile: aut ad vtrunque; & est partim mobile, partim immobile: eam enim rem quis apud se habere videtur, super qua habet actionem l. id apud se ff. de verb. sign. l. qui chirographum, in fine ff. de leg. 3. l. qui actionem ff. de reg. iur. Scimus quoque
4 † sub obligatione generali comprehendi bona futura, etiam si de illis nihil dictum sit l. fin. C. quæ res pign. obl. poss. ac etiam iura, & actiones futurę: cum & hæc inter bona connumerentur, secundùm proximè deducta, & facit l. cum pupillus ff. rem pup. salu. fore.

Dictum est obligatione mobilium conti-
5 neri pecuniam: sed si † destinata sit ad prædiorum emptionem, vel ad alium vsum, secus est: quia neque sub obligatione continetur pecunia destinata, vt mutuò daretur: neque res continentur non perpetuò permansurę penes debitorẽ, prout est pecunia ista, vt paulò inferiùs habebimus per l. si fundus, &

l. si ita legatum ff. de leg. 3. cum l. debitor ff. de pignor. & l. in prædijs ff. in quib. caus. pign. vel hyp. tac. Et quanquam sub obligatione mobilium non contineatur pecunia destinata ad prædiorum emptionem; continetur tamen sub appellatione mobilium: quia destinatio non mutat pecuniam, vt dicatur prædium, vt colligitur ex elegantibus textibus in l. ligni §. si lignum ff. de leg. 3. & in l. fundi §. Labeo ff. de act. empti: ibi, *at quæ parata sunt*: itaque si vni debeantur mobilia, alteri stabilia; constat cum mobilibus huiusmodi pecuniam computari: dummodo super pecunia destinatio nõ sit maioris roboris, quàm actio creditorũ, hoc est si destinatio reuocari posset à creditoribus: sed si secus; patet ex se, omnino prædia emenda esse, & cum stabilibus pecuniam connumerari.

6 Videamus quoque an ab obligatione† excludantur venalia, nempe, quæ causa mercaturæ debitor tenet: & quidem, vt distinctè procedamus, in singulis obligationum speciebus res examinanda est: puta si obligentur bona, siue mobilia in genere: aut mobilia, quæ sunt in tali loco: aut talis locus: aut pars mobiliũ: aut merces in genere: aut merces, quæ sunt in taberna: aut taberna. Si obligen-

gen-

gentur bona, siue mobilia in genere, merces absque dubio remanent obligatæ: idque duplici ratione probatur, primò attenta contraria ratione textus in l. cum tabernam ff. de pignor. vbi taberna obligata, merces non veniunt, nisi quæ reperiuntur in taberna, quia tabernæ appellatione non continentur: ergo isto casu merces remanẽt obligatæ, quia bonorum, siue mobilium appellatione continẽtur, vt in l. mercis appellatio ff. de verb. sign. secundò fortiori ratione, nam pecunia sola est alienabilis, æque ac omnes aliæ res vniuersi commercij, vt per se patet, & in l. 1. ff. de contrah. empt. & nihilominus sub obligatione bonorum obligata restat l. idemq; §. 1. ff. qui pot. in pign. & cit. l. cum tabernam §. fin. Neque his obstat text. in l. obligatione generali cũ tribus legib. sequentib. ff. de pignor. quòd sub obligatione generali, non comprehendantur, quæ verisimiliter quis nõ esset specialiter obligaturus: loquuntur enim de rebus debitori admodum necessarijs, vel ad quotidianum vsum paratis, vt ibi: non verò de mercibus, quas quidem obligari specialiter non est inuerisimile: quinimo merces excluduntur expresè à bonis, quæ quis non esset specialiter obligaturus, ita vt in obliga-

tionem veniant, vt in vltima istarum quatuor legum allegatarum, in fine, & in l. 3. §. 1. ff. de crim. stellion. Si obligentur mobilia in tali loco existentia; venalia non remanent obligata: prout in vltima voluntate sunt aperta iura, ne sub legato contineantur l. generaliter §. vxori ff. de vsufr. leg. l. nam quod §. item ff. de penu leg. Si obligetur locus, venalia, quæ ibi sunt, neque remanent obligata, quia neque sub legato continentur l. 1. C. de verb. sign. valet enim regulariter argumentum ab vltima voluntate ad contractum l. quæ de legato ff. de leg. 1. l. iure ciuili ff. de cond. & dem. l. pactum inter hæredem ff. de pact. l. cum quidam §. fin. in fine C. de verb. sign. imò redditur ratio, quia merces non sunt perpetuò permansuræ in loco, &
7 res † non perpetuò permansuræ non veniunt in specialem obligationem bonorum, siue obligentur res, quæ sunt in loco, siue locus, vbi sunt res: prout in his obligationibus specialibus, neque pecunia continetur, quę reposita est, vt mutuò daretur: quandoquidem, nedum sub legato hæc non continentur l. si fundus, & l. si ita legatum ff. de leg. 3. cum similib. verùm etiam expressum est, ne sub pignore speciali contineantur l. debitor ff. de pignor.

pignor. prout neque sub pignore tacito l. in prædijs ff. in quib. caus. pign. vel hyp. tac. nõ tamen loquimur de loco principaliter ad mercaturam destinato, quoniam cum obligatur taberna aliter dicimus, quia nomine tabernæ, merces continentur: imò ipsæ merces tabernã constituunt, vt infra. Si obligetur pars mobilium, puta lana, linum, & similia parata ad certum vsum; etiam deducitur ab obligatione, quod venale tenetur, vt ab vltima voluntate iterum argumentamur per l. cum quæreretur §. lana ff. de leg. 3. etiam si in obligatione adiectum sit signum vniuersale omne, puta si cautum sit, vt omnis lana, & linum ad certum vsum parata, obligata essent l. pediculis §. item cum quæreretur ff. de auro, & arg. leg. & ex hac lege viget eadem ratio ne venalia contineantur, si sit adiectum signum vniuersale in supradicto casu, quando obligantur mobilia, quæ sunt in tali loco, puta si dicatur, omnia mobilia ibi existentia. Sed quare tantùm in obligatione speciali excludantur merces, & alia non perpetuò permãsura inter bona obligata: in generali autem omnium bonorum comprehendantur, iuxta mox dicta? nullam quidem responsionem contemplatio mihi suggessit, præter quàm, quòd

quòd non omnium, quæ legibus definita sũt, ratio reddi potest, ne alioqui leges ipsæ subuerterentur, vt in l. non omnium cum l. sequenti ff. de legib. Si obligentur merces in genere, planũ est obligationẽ validã esse l. 3. §. 1. ff. de crim. stell. Si obligentur merces, quæ sunt in taberna, etiam planum est obligationem validam esse, vt per eundem proximum text. verùm futuræ merces in tabernam inferendæ, non veniunt, quia non agitur de generali obligatione, vt per supradicta: sed vbi obligatur tarberna, veniunt futuræ merces: aliud nanque est obligari merces, quæ sunt in taberna; aliud obligari tabernam, vt infra. Omnibus tamẽ supradictis casibus, vbi mer-
8 ces † obligantur; non puto super eis pignus durare, nisi tãtummodo dum extãt penes debitorem: si verò alienatæ sint, puto pignus remanere extinctum: ratio est, quia creditor sciebat, vel scire debebat debitorem exercere mercaturam similium mercium, vel solitum esse illas vendere l. qui cum alio ff. de reg. iur. sicque ab initio illas vti merces, cum earum qualitate venali sub obligatione recepit, itaut tacitè videatur se subscripsisse, vt vendi possent: quod etiam approbat Bald. in d. l. cum tabernam: imò etiam si creditor sibi

ca-

cauerit ne venderentur, & vt venditas reuocare posset; existimo non competere super eis actionem, si alienatæ reperiantur: in mercium enim emptione non sunt emptores decipiendi propter alienum factum l. sed etsi pupillus §. 1. & §. item ff. de instit. act. aliàs in toto mundo commercium impediretur cum continuo strepitu, & litium confusione, vt patet ad sensum: cum emptiones mercium singulis horis, & momentis frequentissimæ sint: & miror quidem, quòd ad declarandã materiam hanc tam præsentem, & imminentem, nempe qualiter, & quando sub obligatione merces remaneant; oporteat nos mendicare suffragia terminorum, sine lege, quæ deberet esse palmaribus literis expressa. Si
9 obligetur † taberna sine mentione mercium; hoc tantùm casu habemus legem expressam, nimirum, vt illæ merces obligatæ sint, quę ibi reperiuntur tempore, quo agitur, vsquequo moriatur debitor: etiam si post obligationẽ, in tabernã illatæ sint: merces verò, quæ post obligationẽ alienatæ sunt, exierũt à pignore l. cum tabernam ff. de pignor. sed in obligationem non accedunt, quæ mortuo debitore, illatæ sunt in tabernam, nisi aliquid fieret causa complendi negotium cœptum à

de-

defuncto, vt Bart.vult in eod.textu, per l. furti §. illud planè ff.de ijs, qui not.infam.ratio autem quare alienatæ,remanent à pignore liberæ; non est, vt quidam putant ex eo quia loco illarum subrogentur aliæ merces, quæ superueniunt in tabernã,sed ex eo quia taberna obligata est: ideo quamuis aliæ non superueniant, non remanent obligatæ, quæ alienatæ sunt,sed tãtummodo quæ in præsentia reperiuntur ibi tempore, quo agitur vsque quo moriatur debitor, vt modò dictum est: & quamuis vna ex mercibus remanserit, vna tantùm obligata remanet, vt docet textus in l.si grege ff.de leg. 1.& in §.si grex Inst.
10 de legat. Exierunt quoque † ab obligatione tabernæ, & separatæ dicuntur ab ea merces venditę, quamuis in eadem taberna remanserint: puta si emptor dixerit eas ibi nomine suo custodiri, vel in domum suam asportari, nec asportatæ sint: non enim sunt amplius merces respectu illius tabernæ, quia nõ possunt iterum ibi legitimè vendi, sed taberna cum restantibus mercibus obligata remanet, secundùm iam dicta:quinimo illarum possessio est penes emptorem, cuius nomine possidentur à venditore,vt in l.quod meo,& ibi in §. si venditorem ff. de acq.poss.cum §. possi-

dere

dere Inst. de interdict. Veruntamen quamuis creditor super taberna his casibus excludatur ab emptore super mercibus emptis; non tamen emptor excluderet alium emptorē, si bona fide easdē merces emeret, & asportaret: nō enim sunt emptores merciū decipiēdi, siue inquietandi, vt nuper quoq; dictū est: teneretur tamen venditor actione ex empto primo emptori, hoc est ad id, quod interest, vt ex l. si in venditione, cum. glo. fin. ibi ff. de euict. & §. fin. Inst. de empt. & vendit.

Insuper nedum merces alienatæ non re-
11 uocantur, verùm neque si alienentur alia mobilia pignerata, quæ scilicet modici valoris sunt, ita ut creditor ea persequendo, plus iniquitatis, vel obstinationis præseferret, quàm vtilitatis reportaret: attentis quoque litis laboribus, & expensis pro re modica, puta si debitor alienaret librum, tabulam, vestē, vel similia pignerata: militat enim eadem ratio supra tradita, ne in mundo commerciū impediretur cum continuo strepitu, ac litiū confusione, cùm huiusmodi parui contractus frequentissimi sint. Nec vnquam audiui modica mobilia distracta, imò neque aliqualis notabilis valoris; reuocata iudicialiter fuisse. Ita igitur hoc seruandum, vtpote consuetu-

 di-

12 dine† receptum, qua veluti cribro maturi temporis, leges ad populorum quietem, & commodum cernuntur: eæque legum omniũ iustissimæ sunt, tanquam natura dictante prouenientes l.minimè, cum l.nulla, & l. de quibus, cũ alijs octo legib.seqq.ff.de legib. Quin
13 etiã si alienentur mobilia, †quæ debitori sint admodum necessaria, vel ad eius quotidianũ vsum parata, puta supellex, & similia, quamuis notabilis pretij sint; neq; reuocãtur à creditore, quia non tenet ea subdita sub generali pignore l.obligatione, cum trib. legib. sequẽtib.ff.de pignor.& cõcordantib.vt superius annuimus. Veruntamen dum ex his legibus habemus, ea mobilia nõ contineri sub generali pignore, quæ scilicet debitori sunt admodum necessaria; nota quòd si quis ostẽtationis causa, vt assolet, possideat supellectilem continentem argenti, auri, tapetij, vel similium magnam quantitatem; veniunt hæc in generalem bonorum eius obligationem, deductis tãtuinmodo admodum necessarijs: itaque si distracta sint superflua, puto illa iure pignoris reuocari posse contra possidentem. Vnde ad huiusmodi anfractus vitandos pro creditore, cautelam adhiberem, vt cum debitor obligat omnia bona, mobilia, stabilia,
præ-

præsentia, & futura; addat etiam supellectilia, & omnia, quæ sunt ad quotidianum vsũ, quamuis admodum necessaria, renunciando eidem l. obligatione, cum trib. legib. sequentib. ff. de pignor. & similib. Idque sanè creditoris maximè interest, quia magnam patrimonij portionem supellex absorbere solet.

Quemadmodum de taberna dictum est; dicendum est etiam per eadem, & alia iura
14 in quolibet simili nomine † totali, quod ex partibus distinctis constat, siue vt aliàs vniuersale dicitur: vt hæreditas, dos, peculium, grex, penus, supellex, bibliotheca, & similia: itaut partes tandiu sub obligatione durent, quandiu sub toto clauduntur: quandoquidẽ hæreditate, dote, vel peculio obligatis; si ex eis res aliquæ alienentur, exeunt ab obligatione: prout si alienentur capræ, ex grege obligato, vel oleum ex penore, tapetia ex supellectili, libri ex bibliotheca, & sic de similibus: partes autem, quæ post obligationem accedunt ad nomen totale obligatum, veniunt in obligationem, quia tantùm nomen illud obligatum restat, siue ibi augeantur, siue minuantur partes, vt præter dicta iura de taberna allegata, textus est in l. si quo tempore, cum §. 1. ff. de pet. hær. iuncta l. grege ff. de

pignor. attento tempore, quo agitur, vsque-quo moriatur debitor l. cum tabernam, modò
15 cit. nec † extinguitur hypotheca, nisi prorsus euanescant omnes partes, seu totum nomen totale, cum semper actio super eo duret, etiã si ad vnum redigatur, vt in d. l. si grege ff. de leg. 1. cum §. si grex, Inst. de legat. quæ verò partes augentur mortuo debitore; non veniunt in obligationem, nisi aliquid fieret causa complendi negotium cœptum à defũcto, vt Bart. vbi supra per textum, quem allegat in d. l. furti §. illud planè ff. de ijs qui not. in-
16 fam. ratio autem † quare partes, quæ superueniunt in nomen totale obligatum remanent obligatæ, & quæ ab eo exeunt, excludũtur ab obligatione; est quia illud nudum nomen totale, siue vniuersale fuit obligatũ: & in toto nõ continẽtur nisi partes vnitæ l. in toto de reg. iur. l. siquis cum totũ ff. de except. rei iud. nam separatæ non continentur nomine totius, vt in d. l. cum tabernam, & glo. 1. in l. pecuniæ verbum ff. de verb. sign. & glo. fin. in l. ligni §. si lignum ff. de leg. 3. Quinimo separatæ dicuntur, & à pignore liberæ partes emptæ, qnamuis penes venditorem remanserint, vt nomine emptoris eas custodiret, vel in domum eius asportari procuraret, quod

dic

dic per ea, quæ modò de mercibus emptis, & in taberna relictis dicta sunt.

Cum igitur nomine integrali, siue vniuersali obligato, res quæ ad illud succedūt post obligationem, sint obligatæ; meritò sequi-
17 tur † id, quod pro regula traditur ex l. imperator §. fin. cum duabus legib. sequentib. ff. de leg. 2. per eosdem textus, nempe in vniuersalibus pretium, & rem emptam ex pretio succedere loco rei venditæ: quod vtile, atque consentaneum est explicare, & quidem fictione iuris accidere suadetur, ac si ipsa res non esset vendita, vt in eisdem legib. cum glo. fin. ibi: mihi tamen potiùs secundùm veritatem id procedere videtur: quia res, ac pecunia, quę superueniunt in vniuersale obligatum, veniunt in obligationem, licèt loco aliarum non succedant, vt plenè per supradicta: veruntamen, siue attendamus veritatē,
18 siue fictionem, idem est: nam fictio † submittitur veritati l. filio ff. de lib. & posth. l. si triēnio ff. de statu lib. itaut extrema, quæ requiruntur in ueritate, debeant esse habilia in fictione, ut optimè Bart. in l. si quis pro emptore ff. de usucap. & quæ hic requiruntur habi-
19 lia, duo sunt: primum, ut uniuersale † tale sit, ut possit sub se continere pretium, seu pecuniam,

niam, ac rem emptā ex eadem pecunia: gregis enim nomine, secundùm ueritatem non continetur pecunia, neque nomine supellectilis, neque penoris, ut per se patet: ergo neque secundùm fictionem sub his nominibus pretium succedit loco rei, sed bene succedit sub nomine hæreditatis, dotis, peculij, tabernæ, quia sub se pecuniam cōtinere possunt: pari ergo ratione requiritur, ut uniuersale possit sub se continere rem emptam ex pretio: etenim ponamus quòd res illa sit candelabrum, nō succedit in gregem loco capræ uenditę, neque in penum loco esculentorum uenditorum: hæc enim duo nomina secundùm ueritatem non possunt comprehendere candelabrum, sed bene nomen supellectilis, hæreditatis, peculij, dotis. Secundum ex-
20 tremum † habile, quod requiritur, ut hoc pretium, & res empta ex pretio habeantur loco rei uenditæ, est ut claudantur in toto, nempe ut sint unitæ, quia partes, separatæ non continētur nomine totius, vt per supradicta.
21 Fructus † autem horum nominum vniuersalium, puta fœtus, lac, lana, quæ sunt fructus gregis, vt in l. in pecudum ff. de vsur. cōstat in obligationem gregis venire l. quamuis C. in quib. caus. pign. vel hyp. tac. etiam si super-

perueniant post obligationem l. si conuenerit §. 1. ff. de pignerat. act. loquimur tamen de fructibus naturalibus, nempe quos natura principaliter producit, vt sunt isti, iuxta l. fructus percipiendo ff. de vsur. artificiales autẽ, qui industria principaliter percipiuntur, vt in l. bonæ fidei ff. de acquir. rer. domin. & in ead. l. fructus percipiendo; non puto in obligationem venire, nisi vti res inclusas sub nomine obligato: dummodo secundùm supradicta, tale sit nomen, vt possit eos fructus cõtinere sub se, vt hæreditas l. item ueniunt §. fructus, & ibi glo. ff. de petit. hær.

22 Insuper ne tyrones cõfundãtur, sciant † pretiũ, & rẽ emptã ex pretio succedere loco rei uẽditę in uniuersalibus; solùm respectu creditorum: ut si dotem, uel hæreditatem habeant obligatam; nullo pacto actionem ad rem ex eis alienatam habere ualeant, sed ad pretiũ eius rei, cum nomen tantùm dotis, uel hæreditatis, non res uti singulas eorum nominum obligatas teneant, ut modò dictum est: quantùm uerò ad dominos, pretium non succedit loco rei, si nolunt: quia iure dominij, nedum peti potest nomen dotis, uerùm etiam singulæ res dotales uendicari possunt l. in rebus C.

23 de iure dot. prout in petitione hæreditatis, † uel

uel fideicommissi, singulæ res hæreditatis uẽdicari possunt directò contra possessorem ubi extant l.fin.§.sed quia C.commun.de legat.iuncta l.quod si in diem §. fin.ff. de petit. hæred. sed si semel dominus cõsensit ad pretium, uel ad rem emptam ex pretio, non amplius actionem obtinebit ad rem: debitori tamen liberum erit, pretium, uel rem restituat, ut ex l.si fundum per fideicommissum ff. de leg. 1. Neque obstat textus in d. l.imperator §.fin. cum duabus legib. sequentib. ubi substitutus ad hæreditatem, non uidetur habere actionem ad rem hæreditatis alienatam, sed ad pretium tãtùm, & ad rem emptam ex pretio: quandoquidem respondetur testatorem ibi nõ dixisse, ut restitueretur hæreditas prout reperiebatur tempore mortis suæ, sed quicquid superesset ex ea post mortem hæredis: sicque videtur ipsemet testator permisisse hæredi diminutionem, & alienationem bonorum: ita tamen, vt id solùm, quod non videretur diminutum, hærede mortuo, in restitutionem veniret. Vbi verò res hæreditatis, vel fideicommissi non extant; priùs pro illarum pretio conueniendus est, qui eas alienauit: & eo non soluendo, in subsidium conuenitur is, ad quem peruenerunt l.planè si

filium

filium §. 1. ff. de leg. 1. & sanè rebus nõ extãtibus locum obtinet hic textus: cùm aliàs rebus extantibus, textus in l. quòd si in diem §. fin. nuper citatus, expressè det rei vendicationem directam contra emptorem. Rursũque rebus non extantibus, neque puto eum, ad quem peruenerunt cõueniri posse, nisi eas cum mala fide consumpserit, iuxta l. qui autẽ §. hoc edictum ff. quæ in fraud. cred.

24 Si pignori detur † nomen totale cõstans ex partibus inter sese compactis, vel cohærentibus, vt ædificium, nauis, quod vniuersale quoque dicitur l. nam origo ff. quod vi aut clam: vel nomen totale simplex, vt fundus, vinea; planũ est ea mobilia obligari, quę sub his nominibus continentur, non verò separata: quoniam nomina tantùm obligata sunt, non autem res talium nominum in specie, vt de taberna, grege, & similibus, modò dictum est: & sanè continentur, quæ perpetui vsus causa ibi sunt: ac similiter, quæ detracta sunt,
25 vt ibidem reponantur: separata † verò quæ non continentur sub talibus nominibus; sunt quæ nondũ imposita fuerũt, quamuis destinata sint, vt imponantur: ac etiam separata, quæ non sunt amplius reponenda: & horum exemplo sunt tegulæ, lapides, tabulæ, ferrum,

26 antennæ, mali, & similia: quinimo † separata dicuntur, & sub eisdem nominibus non continentur, quamuis in eodem loco obligato reperiantur; quæ effossa, & incisa sunt, siue vt aliàs ruta cæsa vocantur, vt sunt metallũ, sulphur, creta, lapides, ligna, carbones, & similia: ita pisces in piscina, pulli, cæteraque animalia, quæ sunt in fundo; non continentur nomine fundi: hæc pleniùs habes in l. Iulianus §. fin. & in quinque legib. sequẽtib. ff. de act. empti, cum l. malum, & ibi §. fin. ff. de verb. sign. & l. Celsus §. idem Iulianus ff. ad exhiben. & faciũt textus in l. diuortio §. si vir ff. sol. matr. & in l. fin. ff. de fundo dot. Imò etiã, quæ vti separata non comprehenduntur sub his nominibus obligatis, etiãsi post obligationem separentur, effodiantur, vel excidantur; exeunt ab obligatione, alienariq; possunt, cùm indistinctè ab appellatione horum nominum excludantur, statim ac separantur, effodiuntur, vel exciduntur: fundus enim obligatus est, & res istæ ita separatæ, non sunt fundi, etiam si in eodem loco remanserint, secundùm hæc allegata iura. Præterea facit, quia fructus quandiu pendent sunt pars soli l. fructus pendentes ff. de rei vendic. ergo cum colliguntur, pars soli esse desinunt, vt est ex-
pressum

pressum de strue lignorum, quamuis in eodē solo remanserit l. quia aceruus, & ibi glo. ff. quod vi aut clam.

27 Tandem veniamus ad pignora † rerū, quæ cū alijs misceri, cōfundi, connecti, vel mutari possunt: puta frumentum, oleum, vinum, argentum, aurum, gemma, & similia: & quidem si misceantur, confundantur, connectantur, vel mutentur; regula est, vt quousque res huiusmodi non desinat esse eadem, pignus quoque super ea duret: quia non extinguitur pignus, nisi res pignerata mutet naturā l. si conuenerit §. si quis, cum glo. ff. de pign. act. vel prorsus extinguatur l. pignus C. eod. l. sicut ff. quib. mod. pign. vel hyp. solu. examinemus igitur materiā per partes distinctas: aut mixtio, seu confusio fit inter res eiusdem naturæ, puta inter meum, & tuum frumentum, vel argentum; & certè mixtio mollis non operatur, vt frumentum, prout nec oleum, ac vinum meum fiat commune cum tuo, sed vt in sua substantia dicatur durare, ac si non esset mixtum, vel confusum l. idem Pomponius, siue vt aliàs incipit, si frumentum ff. de rei vēdic. cum §. quod si frumentum Inst. de rer. diuis. mixtio verò dura operatur, vt argentum meū cum tuo mixtum, sit commune: prout vtraq;

mixtio, siue mollis, siue dura communis est, quando fit voluntate dominorũ l.adeo §. voluntas ff.de acquir.rer.dom.cum cit. l.idem Pomponius, & §.quod si frumentum: veruntamen fiat nec ne communis mixtio, ne nos confundat, quia id nil aliud operatur, nisi vt partem meam reuocem differẽti actione: nimirum, vbi non fit communis; actione in rẽ: vbi fit communis; actione communi diuidũdo, vt in ead. l.idem Pomponius: cæterùm vtroq; casu dicitur pignus durare super parte mea, quam obligaui, licèt non tota sit eadem, quæ erat antequam misceretur, siue cõfunderetur: ratio est, quia huiusmodi corpora mixta, siue confusa; ex omnibus suis partibus componunt eandem mensuram, pondus, vel numerum, quæ ante confusionem erant mea: cum hæ res recipiant functionẽ in genere, hoc est, vt vna pars, alterius vice fungatur l. 2. §. mutui ff. si cert. pet. l. res in dotem ff. de iure dot. itaut, quod repetitur, pro eodem, quod datum erat habeatur, ita glo. magna in eod. §. mutui, per eundem tex. & facit optimè l. si grege ff. de leg. 1. iuncta l. grege ff. de pignor. pecunia
28 † verò licèt etiã recipiat fũctionem in genere, vt in §. mutui, Instit. quib. mod. re contrah. oblig. & in
l. 1.

l. 1. §. mutui ff. de oblig. & action. nihilominus quando bona fide miscetur, non repetitur vt res supradictę, nã fit illius tertij, penes quem miscetur l. si alieni ff. de solut. imò neque pupillus eam repetit l. non omnis §. si pupillus, vers. quapropter, ff. si cert. pet. hoc tamen speciale est in pecunia propter prærogatiuã solutionis, vt declarat glo. ibi, & in d. l. idẽ Pomponius §. sed si plumbum, & in d. §. quod si frumentum, per tex. in l. singularia ff. si cert. pet. quæ quidem ratio bona est: non enim facilè reuocanda est solutio, cùm per eam commercium nutriatur, vt ex l. 1. ff. de contrah. empt. Si verò confusio, siue mixtio fiat inter res diuersarum specierum; tunc aut separari res possunt, vt plumbum ab argẽto, aut non possunt, vt mel à vino: si possunt, planum est eandem partem confusam, siue mixtam durare, ac si mixta non esset l. idem Põponius §. sed si plumbum, modò cit. & l. lacus §. 1. ff. de acq. rer. dom. sicq; pignus quoque firmum esse: quia res pignerata durat, vt dictum est: si separari non possunt; fiunt miscẽtis, cum in aliam speciem transeant: etenim ex vino, & melle fit mulsum §. si duorum Inst. de rer. diuis. & ead. l. idem Pomponius §. idẽ scribit, sicque pignus extinguitur, nisi dictũ

sit;

ſit, vt etiam noua ſpecies, eſſet obligata l.ſi
conuenerit §.ſi quis ff.de pign.actione, cum
glo.ibi, per tex.in l.Seia §.item quæro ff. de
auro, & argento leg.quemadmodum pignus
extinguitur, ſi partes vnitæ, commodè ſepa-
29 rari non poſſunt:habentur † nanq; ac ſi nul-
lo modo ſeparari poſſent, vt Bart. notat in
modò cit.§.ſed ſi plumbum,per eundem tex.
prout vult glo.ſub verbo,ſeparatæ,in l.in cō-
modato §.duabus ff.commodati,per eundem
tex.& per l.planè ff.fam.erciſc. & habetur in
l.ſi familia,eod.tit. neque diuiſio dicitur cō-
moda, vbi ſeparãdo, vna pars deſtruitur,vel
minuitur : prout ab aurificibus audiui ferè
cuncta metalla valde minui, vel in totũ eua-
neſcere vi ignis, cum ab eis aurum, vel argē-
tum ſeparatur:neque ſeparationem commo-
diorem fieri poſſe in cōfuſione metallorum,
quàm inter aurum,& argentum,quæ igni re-
ſiſtunt:& quamuis minuantur aliquantulum,
maioris tamen pretij fiunt, quia magis puri-
ficata redduntur: quinimo vi aquæ chryſul-
30 cæ hodie aurum † à quocunq;metallo ſepa-
rari poſſe, ait Alciat. parerg.lib.6. cap. 11.
ſubdens id incognitum fuiſſe tēpore Vlpia-
ni, qui fuit auctor tex.in d. l. idem Pōponius
§.ſed ſi plumbum, vt colligit ex eod. textu:

ſed

sed Callistrato non videtur fuisse omnino incognitum, dum in l. lacus §. 1. ff. de acquir. rer. dom. dicit confusionem diuersorum metallorum ab aurificibus separari posse: itaque vbi datur hæc separatio facilis; cessat dispositio textus in l. adeo §. volũtas, eod. tit. & in §. si duorũ Inst. de rer. diuis. vbi dicitur aurum cum argento confusum fieri commune inter dominos: & remanet dispositio, vt vterque dominus remaneat cum sua specie, vt in ead. l. lacus §. 1. & in ead. l. idem Pomponius §. sed si plumbum ff. de rei vendic. & sic, vt neq; pignus extinguatur, cùm res pignerata duret,
31 vt per supradicta. Vbi autem species † mutatur, itaut ad pristinam naturam redire non possit; constat pignus extingui, vt ex cit. textu, & glo. in cit. l. si conuenerit §. si quis ff. de pign. actione: vt sunt exempla si ex lapidibus fiat calx, ex lignis carbones, ex frumento farina, ex oliuis oleum, ex vua vinum, ex vino acetũm, ex lana vestimentum, & sic de cæteris, iuxta tex. in §. cum ex aliena Inst. de rer. diuis. & in l. adeo §. cum quis ff. de acqu. rer. dom. & ibi glo. nõ tamẽ extinguitur pignus, si de spicis obligatis eliciatur frumentum: quia species non mutatur, sed idem frumentũ in spicis clausum, detegitur, vt in eod. §. cum quis,

quis,in fine: nec extinguitur, si species colorem mutet, quia non desinit esse eadem in substãtia l.sed si §. fin. ff. eod. tit. de acq. rer. dom.l.pediculis §.Labeo ff.de auro, & arg. leg.huic non obstat l. si cui lana ff. de leg. 3. quòd in legato lanæ, non comprehẽdatur lana tincta, quia ibi ex coniecta mente testatoris non venit, vt glo.in eod.tex. At si gemma crustata sit auro, vel alij metallo, remanet proculdubio semper eadem,sicque super ea pignus durat: veruntamen danda est priùs actio ad exhibendum, vt res,è crusta excludatur, & restituatur l.in rem actio §. item quæcunque,in princ.ff.de rei vendic.l.gemma ff. ad exhibendum: quemadmodum ad exhibẽdum agitur si coria rhedæ alienæ accõmodata sint, vel tabula alienæ naui, vel purpura alieno vestimẽto, iuxta l.tigni eod.tit. quę quidem actio ad exhibendum competit etiã hypothecario creditori, de quo agimus l. 3. §. est autem,& §. Põponius, eod.tit.ff. ad exhib.ita in rebus applũbatis idest materia diuersa mediante vnitis,vt in eod.§.item quæcunque: puta si pes argenteus vniatur statuæ argenteæ, mediante stanno: arbitror tamen actionem non dari ad exhibendum in casibus, vbi commodè res auferri non potest: ne

sit

sit necesse non sine magno detrimento dissolui: quemadmodũ expressum est de tigno, columna, & similibus alieno ædificio iniunctis: quia lege duodecim tabularum dissolui non possunt, vt in l. in rem actio §. tignum, & in l. gemma, modò cit. quibus accedit quoq; ratio, ne dirutis ædificijs vrbs deformetur, vt glo. in hoc vltimo textu, & habetur ex §. cũ in suo, in fine Inst. de rer. diuis. & ex l. 1. ff. de tigno iniuncto: & quãquã mala fide iniungantur; non tenetur iniungens, nisi ad æstimationem l. qui res §. fin. in fine ff. de solut. & ead. l. 1. ff. de tigno iniuncto: non tamen eorum dominium amittitur, sed retinetur: etenim si dissolui contingat, ad dominum redeunt §. quod si aliqua ex causa Inst. de rer. diuis. & modò cit. l. in rem actio §. fin. ff. de rei vendic. ergo ita sub pignore conseruantur, cum pignus rem pigneratam sequatur, vt sæpe dictum est. In rebus autem ferruminatis idest eadem materia mediante vnitis, puta si pes argenteus vniatur statuæ argenteæ, mediante argento; aliter dicendum est, quia in eis dominium prorsus extinguitur, & res consumpta dicitur: & quanquã exinde ferruminatio abrumpatur, dominium rei nõ reuiuiscit, vt in sæpe cit. l. in rem actio §. item quæ-

R cun-

cunque: extincto ergo dominio super parte ferruminata, extinctum etiam restat pignus super ea, vt in cit. l. si conuenerit §. si quis, cum glo. ff. de pign. act. intelligendum tamen est eam partem ex ferruminatis dici consumptã, quæ minor est: hæc nanque cedit maiori; vt in ead. l. in rem actio §. sed & id, cum duobus §. §. sequentib. sed si æquales sint partes; vna non cedit alteri, sed vtraque remanet sui domini l. quicquid §. fin. ff. de acqu. rer. dom. neque obstat quod dictum est, argentum cum argento confusum, diuidendum esse actione communi diuidundo: hic autem partem argenti minorem maiori cedere: quandoquidẽ hic argentum non retinet solam speciem suã, vt ibi: sed perficit speciem rei, cui vnitur, ita ut vnus spiritus dicatur, vt in d. l. §. item quæcunque, in fine, vt si pes vniatur statuæ, aut scypho ansa, vel fundum: non tamen consumi dicitur pars minor, neq; maiori parti cedere, quæ ferruminata fuit mala fide possidẽtis maiorem partem, vt colligit glo. 1. in fine in d. l. in rem actio §. si quis rei ff. de rei vendic. per eundem tex. & per l. quicquid ff. de acqu. rer. dom. Circa omnia hęc dicta de mobilibus, quæ misceri, confundi, connecti, vel mutari possunt; perquiras etiam per totam

glo. in ead. l. in rem actio, vbi aliæ minutiæ notantur, materiaq; principaliter ibi excerpta est ex titulis ff. ad exhib. & de acqu. rer. dom. & Inst. de rer. diuis. Cæterùm, quæ mobilia comprehendantur, quę non sub obligatione; exprimũtur apertè in iure, præsertim in titulis ff. & C. quæ res pign. oblig. poss.

C A P. I X.

De Reuocatoria in communi.

S V M M A R I V M.

1 *Pecunia hæreditaria reuocatur per creditorem hæreditarium, si posteriori creditori, vel legatario soluta fuerit: in subsidium tamen, si hæreditas non sit soluendo, & si hæres non careat inuentario.*

2 *Pecunia extans reuocatur actione dominica, vel hypothecaria, sicut qualibet corpora extantia: etiam si bona fide retineatur.*

3 *Pecunia, vel aliæ res consumptæ, quando dicantur extare fictè.*

4 *Pecunia, siue aliis rebus consumptis, dominium, & hypotheca super eis, mutantur in actionem personalem.*

5 *Pecunia subiacet hypothecæ, dum est inter bona debitoris.*

6 *Pecunia soluta creditori, non reuocatur per alios creditores: & quando secus.*

7 *Pecunia soluta ex causa lucratiua, licèt absque fraude recipientis, sed cum fraude soluentis tātum; reuocatur per creditorem ex causa onerosa.*

8 *Causa onerosa præfertur lucratiuæ in actione personali, etiam auocando solutum: secus in actione hypothecaria.*

9 *Bona fides in dubio præsumitur in recipiente: sed requiritur, vt sit continua quousque pecunia recepta consumatur: fraus verò probanda est: & quando præsumatur, & in num. seq.*

10 *Fraudare dicitur creditores, qui recusat recuperare, non qui recusat acquirere.*

11 *Fraus tanti æstimatur, quanti actor in litem iurauerit.*

12 *Actio reuocatoria quibus, & contra quos detur.*

13 *Actio reuocatoria, qualiter detur in subsidium principalis debitoris.*

14 *Fructus in actione reuocatoria, qualiter sint restituendi.*

15 *Pecuniam solutam sub conditione non reuocat ille, qui tempore solutionis non erat creditor: licèt postquā cōparuit uti creditor sequatur conditio.*

16 Pe-

16 *Pecunia nunquam dicitur soluta in fraudem futuri creditoris, nisi fraus probetur: quemadmodum in alijs rebus alienatis dicendum est.*

17 *Actio reuocatoria datur contra eum, qui priuilegium habet: & qualiter pro eo.*

18 *Actio reuocatoria dabatur olim intra annum vtilem: hodie intra quadriennium continuum: sed solum contra recipientem ex causa onerosa: nam contra recipientem ex causa lucratiua, perpetua reuocandi actio creditori datur.*

19 *Filiusfamilias nō fruitur priuilegio reuocādi solutū, quod minor reuocaret, nisi et ipse minor sit.*

20 *Mulier, etiam extra causam dotis reuocat vna cum fructibus, & omni diminutione refecta, id quod, non pro se, sed pro alijs obligata soluit.*

21 *Actio reuocatoria datur ex clausula generali cuicunque inhabili, iuste impedito, & miserabili.*

22 *Actio reuocatoria cōplectitur omnes titulos tractantes, de condictione, reuocatione, & similes, qui maximam partem iuris ciuilis absorbent, sed vtplurimum ad regulas huius capitis reducuntur.*

De-

DEductum est plenè supra cap. 1. auocationem pecuniæ, de qua in l. pecunia C. de priuil. fisci, habere locum vti priuilegium præcisè in solo fisco, & in solo casu, de quo textus loquitur, sine vlla extensione, siue consequentia, non obstante glo. ibi, quæ dixit, idem esse in alio priuilegiato: & est casus ille, vt fiscus creditor, iusta causa intercedẽte, valeat auocare pecuniam priuato creditori à communi debitore solutam, etiam condictione ex lege si consumpta sit: similiter ibi deductum est remedium hoc dari fisco, dummodo sit anterior illo, cui solutum fuit, & in subsidium, nempe debitoris bonis priùs excussis.

Veruntamen priuatis quoque sine priui-
1 legio, similem casum † auocationis dari palàm est in l. fin. §. sin verò creditores, cum §. seq. C. de iure delib. vbi ex creditoribus hæreditarijs anterior, pecuniam hæreditariam, per hæredem posteriori, siue legatario defuncti solutam auocat, etiam condictione ex lege si consumpta sit: verùm hoc non est cõmune omnium creditorum, sed peculiare pro hæreditarijs tantùm, in compensationẽ actionis, quæ illis deficit: debitorem enim

vivum

vltum non habent, contra hæredem procedere nequeunt propter beneficium inuentarij, vt in ead. l. fin. §. & si præfatam, in princ. neque contra emptorem rerum hæreditatis, quas hæres pro soluendis oneribus hæreditarijs vendidit, & pretium ad id verè soluit, vt in eod. §. sin verò creditores cum §. seq. quamuis illæ res extent, vt glo. ibi, per conditionem; itaque ne fortè creditores hæreditarij sine actione restarent; lex eis auxiliũ præstitit ad pecuniam solutam auocandam contra posteriores creditores, atque contra legatarios defuncti, quibus soluta fuit: quæ sanè ratio habetur in eod. §. sin verò creditores, ibi, *cum satis absurdum sit*, &c. & in §. sequenti ibi, *cum satis anterioribus creditoribus*, &c. si enim alias hæres haberet in hæreditate, ipse conueniretur, nõ autem auocatio ista daretur contra creditores posteriores, ac legatarios, l. fin. cum glo. ibi C. de hæred. act. l. Moschis ff. de iure fisci. Et ex his iuribus colligitur idem ne huiusmodi creditores, & legatarij molestentur, si hæres careat inuentario, & sit soluendo: eo nanque casu creditor non restaret sine actione, cùm bona hæredis propria, vt hæreditaria teneantur l. fin. §. cum igitur, & §. si quis autem C. de iure delib. & §.

si

si verò non fecerit, Auth. de hæredib. & falc. Hos duos casus particulares actionis reuocatoriæ præmisi, ne sequentem regulam generalem confunderent, cum qua parum conueniunt, præsertim, quia in his auocatio datur, siue extet, siue cõsumpta sit pecunia, nullaque distinctio adhibetur, fueritne mala, vel bona fide recepta, & consumpta, & quãuis recipiens esset creditor, vt patet ibi: sed in regula generali secus, de qua agimus hic, vt sequitur.
2 Est enim regula generalis, vt si soluta † pecunia extet; cõsideretur vti quælibet species extans, nempe si in sacculo, vel aliter signata sit, l. talis §. item, l. planè vbi §. sed si, uers. sed hoc ff. de leg. 1. l. si sacculum ff. depos. cum similib. ueruntamen pecuniam rarò extantem inueniri opinor, quia seruãdo seruari non potest, utpote ad emendum disposita l. si chorus §. 1. ff. de leg. 3. §. constituitur Inst. de usufr. neque speciatim discerni ualet, utpote in genere fũctionem, siue promiscuũ vsum recipiens l. 2. §. mutui ff. si cert. pet. cum l. 1. § mutui ff. de oblig. & act. & §. mutui Inst. quib. mo. rè contr. oblig. sicq; paucis hic expedior. quandoquidem sicuti corpora alienata uendicantur actione dominica, uel hy-

pothecaria; ita quoque pecunia soluta extans, etsi bona fide retineretur l. cum fundus §. seruũ ff. si cert.pet. cum l. mulier ff. qui pot.
3 in pign. Extat etiam † fictè pecunia propter cautionem, vt ex l.2. & l.tribus, vbi glo.ff.de vsufr.ear.rer. §.cõstituitur vers.sed vtilitatis, & ibi glo.& Gothofr.in verbo cautionem, Inst.de vsufr.nam reuocari potest virtute fideiussionis, seu cautelæ, sub qua soluta fuit, itaut deficiente communi debitore, creditor ita cautus modum particularem obtineat inter cõcreditores, vt actionẽ dirigat contra fideiussorem, quasi pecunia non sit immixta, sed extet vti signata, & clausa sub particulari cautela, quæ concreditoribus non competat, vt in eisdem iuribus. Eadem quoq; ratione dicemus fictè pecuniam extare, quando præter obligationem principalis debitoris, adest alia cautela specialis pro creditore, quæ neq; cõcreditoribus cõpetat, puta si pecunia detur ad rẽ emendã, iuxta formã tex.in l.licèt C.qui pot.in pign.vel reficiendã, vt in l.inter dũ ff.eod. Tandem eadẽ etiã ratione fingitur pecuniam extare, si actor possit ante omnes cõcreditores illã recuperare, puta si sit illis anterior, vel potior, & is qui pecuniã recepit, promiserit eam restituere anteriori-

bus, vel potioribus, vel quibus de iure debetur, si postea cōparuerint: vel alio simili modo. Nec solùm pecunia potest his casibus fictè extare, sed etiam aliæ res consumptæ, quæ sub eisdem cautelis alienatæ fuerunt, ita vt earum æstimatio, secundùm easdem prærogatiuas debeatur.

4 Vbi verò † pecunia, siue aliæ res consũptę sunt, & penes patrimonium principalis debitoris esse desierunt; omnes actiones ad eam auocandam, personales contra recipientem factæ sunt: quoniam propter consumptionẽ, tam dominium amittitur l. si alieni, l. si is ff. de solut. l. si is, in fine C. depositi, quàm etiã hypotheca l. pignus C. de pign. act. & quamuis
5 verum sit super † pecunia consistere hypothecam, vt in l. idemque §. 1. ff. qui pot. in pign. & similib. attamen illa iura loqui comperimus, vbi pecunia manet in dominio debitoris: tunc enim, & si mutationem recipiat, semper eius genus obligatum existit: quemadmodum de grege habemus in l. grege ff. de pign. & de taberna in l. cum tabernã eod. tit. pecunia nanq; inter bona mobilia connumeratur, vt per se patet, & ex §. & quia parũ, Auth. de nupt. cum §. si autem, Auth. de non elig. Verùm nos non loquimur præcipuè cõ-

tra eum, qui tenetur ex contractu suo: tunc enim, vel actione hypothecaria, vel personali, omnia bona, & persona eius tenentur, & consequẽter etiam pecunia, vt in d.l.idemq; §.1. sed loquimur cùm à debitore in fraudem sui creditoris alij soluta fuit, vt creditor eam reuocet à recipiente, quem ex contractu obligatum non habet: idque actione personali, cuius quatuor sunt species, nimirum Pauliana, Fauiana, Caluisiana, & in factũ reuocatoria, vt glo.2.C.si in fraud.patr.siue, vt alij malunt; tres priores species duntaxat constituuntur, & describuntur in glo.in §.itẽ si quis in fraudem, Inst.de action.

6 Hæc autem actio † locum non obtinet si recipiens erat creditor: quia nullam videtur fraudem committere, qui recipit quod sibi debetur l.qui autem §. apud ff. quæ in fraud. cred.l.summa §. sed & si ff. de pecul. l. nihil dolo ff.de reg.iur.quamuis ab alio, quàm à vero debitore pecuniam receperit: dummodo nomine debitoris receperit l.repetitio, cum glo.ff.de condict.indeb. & quamuis nouerit debitorem non esse soluendo, & alios creditores habere, ead.l.qui autem §. sciendum, cum l.ait prætor §.quod ait, eod.tit.quia inter personales vigilantior præfertur, vt in

eod.§.ſciendum,& in l.pupillus,eod.tit.& in l.ſi non expedierit §.1.ff.de bon.auctor.iud. niſi vi recipiens pecuniam extorſerit, vt in ead.l.pupillus ad fin.vel niſi ante ſolutionem patrimonium debitoris, apud iudicem creditoribus inſtantibus deductum fuerit, ſiue ab ijſdem poſſeſſum §.ſciendum,modò cit.& §.item ſi quis in fraudem,Inſt.de action. his enim duobus caſibus, quod debitor coactus, vel gratificatus, vni ſolueret;auocaretur,ita- ut recipienti iuſta portio ſicut alijs creditoribus remaneret l.ſi nõ expedierit §.quod ſi, l.qui autem §.ſciendum, & l.pupillus,modò
7 cit.Si autem ex cauſa † lucratiua recepta fuerit ſolutio, tametſi abſque fraude recipiẽtis, ſed cum fraude ſoluentis tantùm; nihilominus reuocaretur à creditore ex cauſa oneroſa, nulla recipienti portione relicta, vt in ead.l.qui autem §.ſimili modo dicimus, vſq; ad tot.§.penult.cum l.ſi fraudator §.ſi à ſocero ff.quæ in fraud.& l.ignoti C.eod.& l.fin §. ſin verò creditores C.de iure delib. Vnde
8 nota cauſam † oneroſam præferri lucratiuæ, etiam auocando ſolutum: ſed in actione perſonali, de qua hic agitur: non verò in hypo-
9 thecaria, vt infra cap.vlt. Bona fides † autem in recipiẽte præſumitur in dubio l. meritò ff.

pro

pro soc. sed requiritur, nedum quando pecunia recipitur, vt in eod. §. simili modo dicimus, cum §. in hos, & concordantib. verùm etiam continuato tempore quousque consumatur: quoniam propter consumptionē cum bona fide confirmatur solutio l. Cassius ff. de solut. l. obligari §. pupillus ff. de auctor. tut §. nunc admonendi Inst. quib. alien. licet, glo. conditionem, in l. si filius ff. si cert. pet. & facit l. 1. §. cum prædium ff. de pignor. fraus verò probanda est l. dolum C. de dolo & ead. l. meritò: præter quosdam casus, vbi expressa præsumptione iuris apparet, qui sunt in l. ait prætor, §. cum in diem, & in l. omnes, §. 1. ff.
10 quæ in fraud. prout etiā reuocatur † id, quod in fraudem creditorum non fuit recuperatū, vt in l. 3. §. 1. cum duab. legib. sequentib. eod. tit. non verò quod potuit acquiri, nec fuit acquisitum: quia nolle acquirere, non est fraudare l. qui autem, ibid. vbi ergo fraus constat, habetur soluens, vt ille, qui dolo desijt possidere l. quo quidem ff. de rei vendic. & modò cit. glo. conditionem: sicque locus erit
11 iuramento in litem, vt † fraus tanti ęstimetur, quanti actor iurauerit l. qui restituere §. 1. ff. de rei vendic. & glo. in ead. l. quo quidem: æstimatioque ipsa erit, tam contra soluentē, quàm

quàm contra recipientem fraudis participē secundùm generalem sententiam eiusdem l. qui restituere, in fine.

12 Modò alia notanda remanēt. Primò† nota hāc actionem reuocatoriā dari hæredibus,& successoribus creditoris: sed contra hęredes, & successores recipientis non transire, nisi in id quod ad eos peruenit l.ait prætor §. fin. cū
13 l.seq.ff.quæ in fraud. Secundò nota hanc † actionem contra recipientem in fraudem,esse in subsidium, nempe fraudatoris,seu debitoris bonis priùs excussis l. 1.C.de reuoc. ijs, & facit l. 1.& 3. C. si vendito pign. agat. sed si fideiussor interesset,ipsum post fraudatorē, ac deinde recipiētem teneri,vt in §.sed neq; Auth.de fideiussor. sed si tandem etiam recipiens reperiatur non soluendo, iterum contra fraudatorē regressum dari l.tutores,cum glo.ibi,dolo ff.de cōdict.ind.eritque regressus hic vsque ad sacculum, & peram,hoc est ad vltimum quadrantem, si quid exinde acquisierit l. 1.cum l.fin.§.fin.& ibi glo.dabitur
14 ff.quæ in fraud. Tertiò nota quantùm † ad fructus in actione reuocatoria, videri discrimen inter textum in d. l.ait prætor §. per hāc actionem res, & §.prætèrea generaliter, cum textu in l.fin.§.non solùm ff. quæ in fraud. si-

qui-

quidem in primo textu habetur fructus venire in restitutioné, ac si alienatio facta non esset: propter quod etiam commodum medij temporis deberi, quo recipiens in possessione fuit, & concordat l. videamus generaliter §. in Fauiana ff. de vsur. in secundo autem textu dicitur venire fructus, qui tempore alienationis, rei alienatæ cohærent, & qui post litem contestatam percipiuntur: fructus verò medij temporis non venire: glo. tamen laborat pro concordia, & concludit primum textum reduci ad secundum, vt fructus medij tẽporis non debeantur: quemadmodum efficaciori solutione cõcludit Bart. in d. l. fin. §. fructus, nimirum, quia in primo fructus medij temporis extabant restitutionis tempore: in secundo secus, per verba in eod. tex. *nam cum fundus*, &c. quæ quidem Bartoli solutio locũ obtinet, cum agitur contra possessorem bonæ fidei, nam ipse tenetur ad fructus extantes tantùm, non ad consumptos l. certum C. de rei vendic. nisi quatenus in consumptis factus est locupletior, inspecto tempore, quo sententia contra eum profertur l. 1. C. de petit. hęred. cum l. sed etsi §. consuluit, & ibi glo. locupletiores ff. eod. malę fidei nanque tenetur generaliter ad omnes fructus, vt in ead. l.

cer-

certum:imò etiam ad eos,qui percipi potuiſſent ab actore, ſi alienatio facta non fuiſſet l. ait prætor §.præterea generaliter, modò cit. & l.ſi nauis §.fin.ff.de rei vendic.& tanti hęc fraus æſtimabitur, quanti actor in litem iurauerit, vt paulò ſuperiùs deductum eſt. Quando igitur actio reuocatoria datur pro fructibus, competit ratione eius,quod actoris intereſt, non ratione moræ: quoniam ratione moræ vſuræ in actione reuocatoria non debentur, niſi ab initio ille, contra quem reuocatio datur, ad eas teneretur, vel iure ſtipulationis, vel iure contractus bonæ fidei, vt in eod.§. præterea generaliter,cum glo.ibi non
15 deductæ. Quartò nota † reuocationem pecuniæ ſolutæ ſub conditione, non permitti,ſi actor tempore ſolutionis non erat creditor, licèt poſtquam comparuit vti creditor, ſequatur conditio: quia ſolutio non dicitur facta in fraudem illius, qui nondum actionem habebat l.ſub conditione, cum glo.ibi ff. de
16 ſolut.& conſequenter†neq;permittitur auocatio illi,qui poſt puram ſolutionem cœpit eſſe creditor ſoluentis,vt ibidem, & ex l. ait prætor §. 1.& l. ſi quis ff. quæ in fraud.quamuis ex cauſa lucratiua ſolutio præceſſerit l. 1. C.de iure fiſci lib.10.& facit l.cum ratio §.ex

bo-

bonis, cum §.seq.ff.de bon.damnator. nisi in fraudem futuri creditoris facta fuisse probetur, vt in eisdem legibus: etenim omnẽ omnino fraudem excludit actio reuocatoria l. 1. §.fin.ff.quæ in fraud.cred. casum istum habes apud Io.Fab.& Ias.in §.itẽ si quis in fraudem Inst.de action. veruntamen si solutio, vel alienatio fiat paulò ante quàm debitum contrahatur; tunc absque probatione præsumitur facta in fraudem imminentis æris alieni, iuxta l. 1. §.fraudis ff.de portion. quæ lib. dãnator. vbi delinquens, metu imminentis accusationis adoptauit quendam, vt fisco portio bonorum publicandorum detraheretur: & quamuis potuisset ille bona sua disponere, & soluere antequam actio publicandi bona, fisco competeret, hoc est antequam accusaretur, imò antequam condemnaretur, vt in l.aufertur §.in reatu ff.de iure fisci, & in l.reo, cum l.sequ.ff.de solut. nihilominus adoptio fuit existimata in fraudem fisci, Sed hęc pręsumpta fraus solius alienantis, non sufficit, nisi ad reuocandam alienationem lucratiuo titulo factam: quandoquidem alienatio cum titulo oneroso non reuocatur, nisi etiam recipiens esset fraudis particeps, vt sup. per l.qui autem §.simili modo dicimus ff.quæ in fraud.

cred.cum concordantib. Hæc tamen dicta, vt vigent in pecunia, ita in alijs rebus aliena-
17 tis propter eandem rationem. Quintò notat secundùm easdem distinctiones, & regulas, eundem recipientem, auocationi subiectum esse, quamuis priuilegium habeat, vt in cit. l. qui autem §. si quid, cum glo. ibi, & l. si fraudator §. si à socero ff. quæ in fraud. Sextò nota actorem si priuilegium habeat; diuerso modo ratione priuilegij auocationem pecuniæ consumptæ obtinere: mulier enim pro dote auocat pecuniam cõsumptam à viro tãtùm, vt sup. cap. 1. minor autem auocat eam ab illo, qui secum, vel cum tutore, seu curatore immediatè contraxit, vt sup. cap. 5. sic ergo, & alij, qui minori exæquantur: sed contra alios nequaquam datur priuilegium auocationis: neque pro dote, vt in eod. cap. 1. per tex. in l. in rebus C. de iure dot. cum alijs: neque pro minore, vt in d. cap. 5. per tex. in l. nõ omnis, §. si pupillus, vers. quapropter ff. si cert. petat. præter casus expressos in iure: nimirum in fisco in vno casu, & in creditoribus hæreditarijs, qui reuocatoriam contra tertium obtinent secũdùm supra deducta hic ex principio: quod etiam à fortiori patet, quia priuilegia postponuntur hypothecę l. si fundum

C. qui

C.qui pot.in pign.l.si pignus, & l.fin.§.fin. ff. eod.& ratione hypothecæ, nec etiam auocatio datur, nec hypotheca locum obtinet, vbi pecunia consumpta est l.pignus C. de pign. act.nam tota priuilegiorum vis est, vtplurimum in concursu creditorum in actione personali, vt antequam illis debitum soluatur, priuilegiarius præferatur: non verò solutione secuta, vt supra cap. 1. Septimò tandem
18 nota † actionē hanc reuocatoriam competere intra annum vtilem à die fraudis commissæ l. 1. cum sæpe cit. l. qui autem §.fin. & l. ait prætor ff. quæ in fraud. deducto tamen tēpore inhabili ad agendum: sed aduertendum est competere ratione restitutionis in integrum ex clausula generali, vti comprehensa sub edicto de maioribus iusta causa intercedente restituendis, vt in ead. l. 1. §. fin. cum ead. l. ait prætor, & ibi in §. partum; & in supracit. §. item si quis in fraudem Inst. de act. quoniam causæ huius actionis reuocatoriæ, de quib. in ead. l. 1. & tit. ff. quę in fraud. comprehensę leguntur sub generalibus verbis legis primæ ff. ex quib. caus. maior. & quemadmodum in casu nostro datur vtilis annus, quo experiundi potestas fuerit ad restitutionem, siue reuocationem implorādam; ita ibi, prout

etiam in l. fin.C.eod.tit.vnde infertur, quòd etiam hic annus vtilis,de quo loquimur, non secus, ac annus vtilis, de quo ibi; redactus sit ad quadriennium continuum l.fin.C.de tempor.in integ.rest.prout hodie in omnibus restitutionibus quadriennium continuum cõputari dicit glo.sub verbo,annum,in §.rursus Instit.de action.per eand.l.fin. continuum tamen intelligamus postquam cœpit,quoniã non incipit, nisi à die,quo actio proponi potest, sublato impedimento,iuxta l.1.ff.de diuers.& temporal.præscript. prout annus vtilis incipiebat, vt vult ead.l.fin. & ita innuit Gothofr.in ead.l.1.ff.ex quib. ca. maio. Verùm hoc breue quadriennij spatiũ cõpetere palàm est, ad reuocandum contra eum, qui ex causa onerosa pecuniam recepit: nam cõstat,eũ ad quem ex causa lucratiua peruenit, auocationi semper subiectum esse, vt glo.annum,in d. l. fin. C. de reuoc. ijs, per cit.l.ait prætor §.hæc actio ff.quæ in fraud.& non nisi præscriptione ius auocandi tolli,vt in l.fin.§. fin.C.si maior fact.alien.rat.hab.

19 Filiusfamilias † in materiam istam reuocatoriam non ingreditur, neque priuilegijs fruitur,nisi minor sit: & quamuis sit tutus exceptione Senatuscons. Macedoniani, ne teneatur

neatur ex cõtractu mutui; attamen quod pro
mutuo soluit, non reuocat:non enim lex eum
exonerare, sed exçeptione munire voluit in
pœnam creditorum l.sẹd & si §.fin. ff.ad Se-
natusconf.Maced.ex eo quia cum filiofami-
lias contraxerunt:quia nisi sciuissent,vel sci-
re potuissent eum esse filiumfamilias; eis non
obstaret hæc exceptio, l.penult.eod.tit. Mu-
20 lierit autem nedũ pro dote datur actio reuo-
catoria certis casibus,vt in cap.1.diximus;ve-
rùm etiã ratione sexus fragilis: fruitur enim,
vt scimus, exceptione Senatusconf. Velleia-
ni, ne teneatur si pro alio se obligauerit,& vt
pignora ex ea causa data, vnà cum fructi-
bus, ac omni diminutione refecta reuocet à
creditore, siue ab alio,qui à creditore depẽ-
det,quamuis hic sit in bona fide l.fin. §.1. ff.
ad Senatusconf. Velleian. ac etiam vt reuo-
cet solutum: non tamen si pro alio cùm ad id
obligata non esset,solueret l.1.cum l. quam-
21 uis C.eod.tit. Datur † quoque actio reuoca-
toria militi, absenti,infirmo , rustico, & cui-
cunque iustè impedito, & inhabili: sed ex
clausula generali, & ex accidenti, nimirum
quando iusta causa, & æquitas,restitutioni in
integrum locum esse persuadet l.1.cum l.sed
& si, §.item inquit, & toto tit.ff.ex quib.caus.
maior.

maior.& in tit.C.eod. inter quos potissimum locum obtinent personæ miserabiles, vt colligitur etiam ex sententia textus in l. vnica C. quando Imperat. int. pup. & vid. iuxta illud psal. 145. *Dominus custodit aduenas, pupillum, & viduam suscipiet.*

22 Præterea pertinent† ad actionem reuocatoriam omnes tituli tractantes de conditione, reuocatione, redhibitione, restitutione, rescissione, vendicatione, dolo, metu, & similes, qui maximam partem iuris ciuilis absorbent: sed ad supranotatas regulas, & distinctiones huius capitis vtplurimum reducũtur. Nostrum enim institutum fuit agere de reuocatoria personali, nempe ratione personarum, ex causa priuilegij, vel inhabilitatis cõtrahendi. De reali autem, quæ diffusissima est per tot titulos; necessaria tantùm ad nostrum discursum, hic & in præcedenti capitulo discussa sunt.



CAP.

CAP. X.

De Concursu, & prærogatiuis inter actores,

SVMMARIVM.

1 *Hypotheca cōuētionalis quibus modis cōtrahatur.*
2 *Pignus prætorium quid.*
3 *Pignus iudiciale quid.*
4 *Pignus rei alienæ, quamuis furto subtractæ, publico fæneratori traditum, non potest verus dominus vendicare, nisi pecunia mutuata cum vsuris priùs restituta fuerit: & quando aliter.*
5 *Pignus rei alienæ priuato fæneratori traditū, semper vendicatur per uerum dominum: & quando etiam pecunia pro pignore luendo soluta repeti possit.*
6 *Possidentis conditio semper melior: occupantis verò non semper: & in duobus numeris seqq.*
7 *Executio sententiæ, aliarumque scripturarum, quæ sententiæ sunt æquales, quibus casibus impediatur.*
8 *Priuilegiatus impedit executionem sententiæ, & præfertur: sed inter æquales in actione.*
9 *Hypothecam conuentionalem, seu expreßam habentes, quomodo inter sese præferantur.*

Pri-

Priuilegia silent inter hypothecas: & non præferuntur, nisi vbi iure exprimitur, vt vincant hypothecas. ibid.

10 *Hypothecam tacitam, seu legalem habentes, concurrunt cum hypotheca conuentionali: & quomodo inter sese præferantur.*

11 *Bona semel in domum conductam inuecta, & illata; etiam si inde extrahantur, nihilominus locator ea iure pignoris taciti persequi potest.*

12 *Pignus prætorium concurrit cum alijs hypothecis.*

13 *Possessio data à iudice, seu pignus prætorium, quando cæteris ad eandem possessionem concurrentibus communicetur ipso iure, vel communicandum sit etiam à iudice.*

14 *Pignus prætorium si plures obtinuerint, quamuis diuersi tituli sint, inter se temporis prærogatiuã conseruant.*

15 *Pignus iudiciale concurrit cum alijs hypothecis.*

16 *Creditores ex causa lucratiua concurrunt cũ alijs ex causa onerosa: sed postponuntur duobus casibus, nempe in actione personali, & viuente donatore, siue eius hæredibus filijs tantùm: & in num. seq.*

17 *Donator quando teneatur in solidum absque beneficio, vt deducatur æs alienum, & ne egeat.*

18 *Creditoris arbitriũ quando refrænetur: & vsque ad tot. num. 24.*

19 *Clau-*

19 *Clausula, ut specialis obligatio, generali non deroget, etsi non apponatur in stipulationibus; tamen uti solita censetur apposita.*

20 *Æquitas faciendi, quod uni non nocet, & alteri prodest, uti scripta, rigori præfertur, & seruanda est etiamsi alteri parum noceret.*

21 *Creditoris arbitrium refrænatur in gratiam debitoris, ut executio fiat super illis rebus, quæ minus debitori nocent.*

22 *Æquitas faciendi quod uni non nocet, & alteri prodest, habetur pro lege expressa.*

23 *Creditoris arbitrium non est refrænandum in actione, sed in executione.*

24 *Excussionem opponens, tenetur assistere, ac respõdere in iudicio excussionis, nisi iudicium sit summarium: puta si opponatur excussio principalis debitoris, uel fideiussoris, uel ultimi creditoris causa uitandi circuitus.*

25 *Creditores in actione personali sine priuilegio, quando præferantur inter se: sed si quis priuilegio fruatur præfertur alijs, etiam si sententiam obtinuerint: nõ tamen reuocat solutum, siue sententiam executioni demandatam.*

26 *Creditores in actione personali cum priuilegio, quẽ prærogatiuæ ordinem inter se conseruent: & per omnes numeros seqq.*

27 *Depositum irregulare, nempe quod in quantitate*

V *sine*

sine spe usurarum custodiendum datur; præfertur depositarij creditoribus in actione personali.

28 *Creditor ad rem reficiendam, præfertur actioni depositi irregularis: non ita creditor ad rem emendam, vel construendã si careat hypotheca.*

29 *Creditor ad merces emendas absque cautela pignoris, præfertur alijs mercatoris creditoribus in actione personali super mercibus emptis.*

30 *Creditor cuius pecunia res fuit empta, si tamẽ non ad id pecuniam dederit, non præfertur super re empta: quod fallit in pupillo, ecclesia, & alijs qui sub curatore reguntur, ac in dote, & milite.*

31 *Creditori ad rem reficiendam, emendam, uel construendam, præfertur fiscus, & dos: quamuis creditor ille hypothecam haberet: non tamen si anterior esset hypotheca: & quando secus: & in duob. numeris seqq.*

32 *Fiscus quando careat hypotheca, & quando postponatur omnibus creditoribus.*

33 *Dos quando non præferatur mutuantibus ad rem reficiendam, emendam, vel construendam.*

34 *Fiscus præfertur doti, etiam super rebus dotalibus in causa primipili, seu annonæ militaris: sed in subsidium bonorum viri: non tamen res dotales tenentur si inæstimatæ sint.*

35 *Funeris impensæ præferuntur hypothecis, etiam expressis, & vniuerso æri alieno: ac etiam doti,*

&

& super rebus dotalibus quantumuis inæstimatis: modò non sint exorbitantes, ac bona fide cum animo repetendi sint erogatæ.

36 *Infirmitatis impensæ non exorbitantes, & bona fide cum animo repetendi erogatæ, exæquantur impensis funeris, & præferuntur omnibus creditoribus: siue in vltima, siue in alijs infirmitatibus erogatæ sint.*

37 *Alimenta debentur ante omnes creditores, tam in bonis eius, qui alere tenetur, quàm eius, qui alendus est: dummodo hic aliunde non habeat, nec mendicare possit, nec ei liceat. Secus tamen si creditor quoque pauper esset.*

38 *Alimenta præterita, qualiter, & quādo debeātur.*

39 *Alimenta præstita, qualiter, & quādo repeti possint.*

40 *Impensa pro captiuo redimendo, omnibus creditoribus præfertur: & qualiter repetatur.*

41 *Impensæ pro singulis operibus misericordiæ corporalis, priuilegiū ante omnes creditores obtinēt.*

42 *Impensa pro docendo ignorante artes liberales, ac alij sumptus pertinentes ad opera misericordiæ spiritualis, præferuntur omnibus creditoribus.*

43 *Vsuræ, seu accessiones, quando debeantur cū hypotheca, vel priuilegio sortis: & in duob. numeris seqq.*

44 *Fideiussor pro sorte, quando teneatur ad vsuras.*

45 *Creditor ad rem reficiendam, emendam, vel construendam, etsi gaudeat hypotheca expressa; nõ præfertur, nisi super eadem re tantùm, pro qua principaliter expensæ erogatæ sunt: nõ super eius pretio, neque super lucro, ex ea re proueniente: & quæ cautela sit creditori, vt super pretio præferatur.*

46 *Hypotheca pro vsuris, extenditur ad sortem debitam sine hypotheca.*

47 *Medicus, & similes, qui medicamenta exhibent, quo iure præferantur alijs creditoribus pro mercede sui muneris.*

Pharmacopola qualiter pro pharmacis præferatur. ibid.

Aduocatus qualiter pro sua mercede præferatur. ibid.

48 *Extra ordinem aliquid deberi, quid denotet.*

LIbet modò materia de concursu, & prærogatiuis inter actores: vt post illos, qui reuocant alienationem, atque solutionem factam, videamus, qui impediant faciendam, vt præferantur: quorum ordo sequitur ita. Ponamus, quòd concurrant ad eandem rem aliqui ratione dominij, & simul cum eis creditores diuersi, nempe cum hypotheca expressa, seu conuentionali: cum hypotheca ta-

tacita, ſeu legali: cum pignore prætorio: cum pignore iudiciali: & cum actione perſonali: & inter iſtos omnes alij priuilegium habeāt, alij ſint ſine priuilegio. Ad cuius apparatum præmitto differentiam inter eaſdem hypo-
1 thecas, & pignora. Hypotheca † expreſſa, ſeu conuentionalis, vt ſcimus, eſt quæ conuẽtione partium contrahitur l. 1. ff. de pignor. ſiue publico inſtrumento mediāte, ſiue ſcriptura, cum trium teſtium fide dignorum ſubſcriptione l. ſcripturas C. qui pot. in pign. ſiue per epiſtolam l. cum tabernam §. 1. ff. de pignor. ſiue etiam ſine ſcriptura l. contrahitur eod. tit. l. in re ff. de fide inſtrum. ſiue in teſtamento l. non eſt mirum ff. de pign. act. Tacita hypotheca eſt, quæ à lege inducitur, vt in titulis ff. & C. in quib. cauſ. pign. vel hyp. tac. &
2 in l. 1. C. commun. de legat. Pignus † prætorium definitur, ſimulque deſcribitur, vt tutior ſit definitio. Eſt enim poſſeſſio bonorũ, quam iudex primo decreto actori tradit ob rei defectum, vel contumaciam: vt ſic actor ſecurus reddatur: & reo in contumacia perſiſtente, bonorum adiudicationem per ſecundum decretum conſequatur, vt ex tit. C. de prętor. pign. cum l. ſi is §. 1. ff. de pignor. & l. 1. ff. quib. ex cauſ. in poſſ. eatur, & l. ſi finita ff. de

dam-

3 damno infe. Pignus † iudiciale definiendum quoque, atque describēdū videtur, vt sit possessio bonorum debitoris, quæ creditori à iudice traditur virtute diffinitiuæ sententiæ: ita vt si debitor sētētię nō pareat, ex eisdē rebus, vel earū pretio creditori satisfiat, vt ex tit. C. si in causa iudic. Et in quo differat hoc pignus à prætorio, habes infra sub num. 15.

Porrò dominū esse creditori cuilibet præferendū, patet ad sensū, & in l. etiā ff. qui pot. in pign. cū toto tit. C. si res aliena pign. Fallit
4 tñ hoc in casu priuilegij † seu consuetudinis, quę ferè vbiq; gētiū seruatur, vt campsores, & mensæ, publica auctoritate fęnus exercentes: quod & Iudæi multis in locis exercere solēt, possint mutuare super rebus alienis, etiā furto ablatis: neq; res illas pignori acceptas teneātur veris dominis restituere, nisi pecunia mutuata priùs cū vsuris restituta fuerit. Quod quidē priuilegiū, siue cōsuetudo, cùm pignus dominio anteponat; licèt sit cōtra ius cōmune, vt in eod. tit. C. si res aliena pign. & in. l. 2. C. de furt. attamē rationi maximè cōsonat ad publicā cōmoditatem; nimirū, vt fęneratores cū tuti omnino redduntur super pignoribus acceptis; pecuniā pignerantibus (quorū necessitates rarò non sunt vrgentes) non denega-

ga-

garent, sed eam sine dubietate, vel dilatione, promptè, ac indistinctè mutuarentur. Hoc tamen locum obtinet vbi fęneratores nescirẽt rem pigneratam esse furtiuam: aliàs enim ad rem, vel ad pecuniam pro rei luitione receptam restituendam, & actione furti tenerentur l.seruus cuiusdam ff. de cõdict. indeb.

5 Fęnerator † autem non publicus teneretur quidem ad restituẽdam rem alienam, quamuis nesciret alienam esse, vt in cit.tit. C. si res aliena pign.cum l.2.C. de furt. veruntamen quando nesciret, non teneretur ad pecuniã pro ea re luenda receptam, & consumptam, sed solùm ad extantem restituendam, vt in ead.l.seruus, cum glo.fin.ibi, & ibidem Baldus, & alij scribentes materiam tangunt.

6 Si inter † plures cõcurrentes vnusquisq; integrum dominiũ eiusdẽ rei ad se ptinere cõtẽdat; melior cõditio est possidentis, qui alijs etiam in titulo dominij anterioribus præfertur l.quoties C.de rei vendic.l.qui tibi C. de hæred.vel act.vend.l.qui tibi C.de ijs, qui à non dom.imò etiam contra verum dominũ, qui possessionem priùs habuerat; possessoris est melior conditio: cum etiam prædo in possessione manutenẽdus sit, & restituendus cap. in literis, ex.de rest.spol.l.1.§.qui à me ff. de

vi,

vi, & vi arm.l.si quis ad se fundum C.ad leg. Iul.de vi. Si autem istorum concurrentium, nemo sit in possessione; melior conditio est occupantis, nempe illius, qui sententiā priùs obtinuit l. si verò ff.de pecul.l.si quis à multis ff. de noxal.vt exempla sunt in cap. veniens, ex.de testib.& in l.is à quo fundus ff. de rei vendic.& in l. à Diuo Pio §. si super ff. de re-
7 iudic. Idque optima ratione, quoniam † occupans, hodie sentētiam obtinet, hodie agit: sicque non est illi executio impedienda propter tardiorem indaginem aduersariorum,vt in eisdem proximè allegatis iuribus,& in l.3. ff.vt in possess.legat.cum l.fin.§. hoc itaque C. de compensat.& l.3.§.ibidem ff.ad exhib. Hæc tamen temperanda sunt,iuxta optimum theorema Innocentij in eod.cap. veniēs n.1. & seq. qui distinguit ita;aut bona, super quibus fuit lata sententia,reperiuntur vacantia, aut possessa: si vacantia; quilibet allegans ius habere super eis, impedit executionem:& de hoc loquitur d.cap.veniens: si possessa repèriuntur; aut super bonis petitis fuit lata sententia, aut super alijs: si super petitis; tunc allegans ius habere super eis, non impedit executionem,sed victor indemnitatem possessori victo promittet aduersus alterum peti-

titorem: & de hoc loquitur d. l. is à quo fundus: rationem prædictorum assignat, quia vbi bona vacant, si executio daretur; præiudiciũ alteri petitori oriretur: quia faciliùs recuperaret bona vacantia, quàm possessa: sed quando bona possidentur, præiudicium non patitur: etenim quemadmodum contra victum, ita contra victorem litem exercere potest. Vbi verò sententia non super bonis petitis, sed super alijs lata fuit, impeditur executio, dummodo ipsimet contradictori talia iura sint, vt summatim cognoscantur à iudice; & de hoc loquitur d. §. si super, vbi Bart. num. 3. pulcherrimam dicit hanc Innocentij distinctionem, & subdit rationem, quòd hoc vltimo casu impediatur executio, quia in §. si super, agitur de actione personali: quapropter executio fit super bonis incertis; super quibus alter petitor, ob incertitudinem non potuit allegare ius suum, dum victor litem prosequebatur.

In vltima igitur parte huius exactissimæ distinctionis, vbi executio sententiæ impeditur propter oppositionem, quæ summatim cognosci potest; figuratur casus in processu compilato, vel si iudici videbitur, etiam in compilationi proximo: nam iuribus patefa-

ctis, vel conclusis, citò sententia sequi potest: dummodo sententia ferenda non subiaceat appellationi, vel propter appellationem nō retardetur eius executio: aliàs nanque processus compilatus non impediret executionem, quia non ageretur de summaria cognitione, sed causa esset iterum plenè discutiēda, iuxta l.eos C.de appellat. Item exemplū est apud nos in apocha collybistica nondum probata, quam vulgò bācariam appellamus: quia secundùm nostrum statutum, summatim probatur absque vlla dilatione contraria: & quemadmodum hic summaria cognitio impedit executionem sententiæ; impedit etiam executionem aliarum scripturarum, quæ sententiæ sunt æquales, nempe quæ executionē paratam habēt, vel saltèm præuijs præceptis executionem comminantibus, vt secundùm nostrum statutū sunt instrumenta, quæ exceptionem non patiuntur, vt notat etiam Bart. in l.cum vnus ff. de bonis auctor. iud. poss. ac etiam schedulæ collybisticæ probatæ, quas bancarias, vt dixi, vulgò appellamus: & schedulæ fœneratitiæ, quas dicimus literas cambij: & obligationes, quæ fiunt coram iudice, siue coram illo, qui iudicis officio in hoc fungitur, vt sunt magistri actorum curiarū Nea-
po-

politanarum, quas appellamus obligationes penes acta. At cum istæ scripturæ, sententię sint æquales, semper, & indistinctè impediũt executionem sententiæ, non secus ac altera sententia: duabus enim sententijs concurrẽtibus, vtraque pro rata admittitur, nulla ratione habita, vtra priùs lata fuerit l. in iudicati ff. de rę iudic. cum glo. 1. in d. l. inter eos eod. tit. dummodo ambæ executionem paratam habeant: quia si ab altera posset appellari, non impediretur executio alterius, vt per modò dicta: & quemadmodum sẽtẽtia, à qua potest appellari non impedit alteram, quæ habet executionem paratam; eadem ratione nõ impedit instrumẽta, nec alias scripturas, quæ paratam executionem habent.

8 Notandum est insuper † creditorem cum priuilegio habere speciale ius, vt præferatur occupanti, scilicet illi, qui sententiam obtinuit l. sed an hic ff. quod cum eo, iũcta l. si verò ff. de pecul. dummodo summaria iura opponat, vel executionem paratam habentia: non tamen si altiorem indaginem requirant, vel si debiliora sint, quàm illius, qui sententiam obtinuit: puta si ille obtinuit ratione hypothecæ anterioris, creditor autem cum priuilegio sit posterior, vel cum actione

personali: habet enim locum prælatio ista, si citra sentẽtiam, tam qui eam obtinuit, quàm qui priuilegium habet, essent pari passu proximi ad eam obtinendam: quandoquidem non nisi inter æquales præfertur occupans l. inter eos ff. de re iudic. & inter hos æquales, qui priuilegium habet præfertur occupanti, vt in d. l. sed an hic: neq; prælatio ista datur, si occupans executionem, siue possessionem obtinuit: quandoquidem solùm contra occupantem datur, & occupare non aliud est, nisi ad sententiam simpliciter peruenire, non vlterius, vt in d. l. si verò: quia contra possessorem priuilegia non præferuntur, cum neque contra possidentem iure pignoris locum obtineant l. si fundum C. qui pot. in pign. l. si pignus, in fine, & l. fin. §. fin. ff. eod. ita inter æquale priuilegium habentes est etiam occupantis melior conditio, secundùm regulã d. l. inter eos: ita aduertit glo. fin. & Gothofr. in l. si hominem §. fin. ff. depositi: itaque si inter hos æquales in priuilegio, quis maiori priuilegio fruatur; præfertur occupanti, vt modò dictũ est, iuxta d. l. sed an hic, quę regulariter etiã loquitur, & nõ sine ratione id obseruandum esse testatur. Hæc omnia de occupante præferendo militant inter omnes
con-

concurrentes æqualiter, tam ratione dominij, vt supra diximus, quàm ratione hypothecæ, ac actionis personalis, & priuilegij, vt infra dicemus: quia regula hæc generalis est in d.l. inter eos ff. de re iudic.

9 Inter creditores cum hypotheca † conuẽtionali, priorem tempore præferri notum est, l. 1. C. qui pot. in pign. & cum eis concurrere creditorem cum hypotheca, quæ priuilegium adiunctum habet: etenim inter hypothecas, priuilegia silent l. si fundum C. qui pot. in pign. l. si pignus, in fine, & l. fin. §. fin. ff. eod. nisi vbi expressum inuenimus, vt vincat hypothecam, vt est casus in l. interdum ff. qui pot. in pign. eandẽ igitur temporis prærogatiuam constat esse seruandam, si ex vtraque parte sit hypotheca cum priuilegio l. Titius ff. qui pot. in pign. si verò nemo sit prior, sed eodem momento contraxerunt; simul ad cõcursum vocantur, quilibet secundùm portionem suæ partis l. si fundus §. si duo ff. de pignor. sed si nesciatur quisnam prior sit, & contentio sit inter eos; melior est conditio possidentis: si verò nondum ad possessionem deuentum fuerit; melior conditio est occupãtis l. si debitor, cum glo. 1. ff. de pignor. nisi veniat aliquis cum priuilegio: quemadmodum

dum

dum de possidente, & occupante modò deductum est.

Cum hypotheca conuentionali concurrit
10 tacita, † seu legalis, vt posteriori conuentionali præferatur, quamuis conuentionalis priuilegium quoq; habeat, l. vnica C. rem alien. gerent. glo. magna, vers. nam & priuatus in l. assiduis C. qui pot. in pign. non enim aliud est hypotheca tacita, nisi quam leges voluerunt haberi pro expressa, vt per se patet, & in l. vnica §. & vt pleniùs, in fine C. de rei vx. act. cum tit. C. in quib. caus. pign. vel hyp. tacitè contrah. Sic etiam seruatur prærogatiua temporis inter tacitas l. dotis C. de iure dot. l. 2. C. de priuil. fisci l. assiduis §. exceptis modò cit. l. insulam ff. eod. glo. in verbo, posterior, in §. his consequens Auth. de æqualit. dot. Vbi verò tacitæ ortæ sunt eodem momento, concurrunt: vel si contentio sit quænam sit prior, melior conditio est possidentis: sed si nemo possideat, est occupantis l. 1. §. 1. & l. seq. cum glo. ff. de Salu. interd. nisi quis eorum priuilegium habeat, quia præfertur: vt de possidente, & occupante modò deductum est.

Hic immoror aliquantum ad resecandam
11 dubitationem: nimirum † si à domo conducta,

cta, fuerint extracta bona, quæ iure pignoris taciti, locatori erant obligata, vt in l. 2. ff. in quib. caus. pign. vel hyp. tac. contrah. an à pignore censeantur exclusa. Baldus in l. certi iuris C. locati, vers. quid si inquilinus, dicit ea remanere sub pignore: quod probat ex l. vtrum, vers. vnde falsam ff. de constit. pec. quemadmodum similis dubitatio deciditur de pignore prætorio in l. 2. C. de prætor. pign. de quo mox loquemur. Eaque conclusio roboratur, quia tacita, & expressa hypotheca exęquantur, nec aliud est tacita, nisi quam leges voluerũt haberi pro expressa, vt modò diximus. Sicut igitur natura hypothecæ expressæ est, vt rẽ persequatur, vt in l. pignoris ff. & C. de pignor. ac vt semel cõtracta hypotheca, tũc extinguatur, cũ res pignerata prorsus extinguitur, vt in l. sicut ff. quib. mod. pign. vel hyp. solu. & in l. pignus C. de pignerat. act. vel toto debito soluto; ita etiã debet esse natura tacitæ hypothecæ. Neq; dicamus tacitã faciliùs à lege tolli, quàm expressa, vt dixit glo. magna, in medio in l. assiduis C. qui pot. in pign. per tex. in §. quia verò verisimile, Auth. de non alien. nã in præsenti articulo lex non reperitur, quæ tacitæ persecutionem pignoris tollat. Imò conclusio ista patet ex le-

legibus expressis, quia huiusmodi bona inducta locator vtili Saluiano interdicto, siue iure pignoris reuocat contra quemlibet extraneũ possessorem l. 1. cum glo. & l. 2. ff. de Salu. interd. & §. interdictum, cum glo. Inst. de interdict. & glo. in l. 1. C. de precar. quæ etiam actio Seruiana, siue hypothecaria nuncupatur, vt in §. item Seruiana Inst. de action. & in hac allegata l. 2. Veruntamen actio ista hypothecaria nõ locum obtinet, nisi super bonis, quæ in loca cõducta videantur illata animo, vt ibi permaneant l. debitor ff. de pignor. & l. in prædijs ff. in quib. cauf. pign. vel hyp. tac. contrahatur.

12 Cum supradictis hypothecis concurrit † pignus prætorium, vt prior tempore præferatur l. si postquam C. vt in poss. legat. & eiusdem roboris esse hoc pignus, ac hypotheca conuentionalis, habetur ex l. 2. C. de prætor. pign. & in l. nõ est mirum ff. de pignerat. act. sicque excludit posteriorem hypothecam expressam, etiam cum priuilegio, non secus ac anterior conuentionalis, cui æquiparatur,
13 vt dictum est. Sed si plures † ad pignus prætorium, siue ad iudiciariam possessionem cõcurrant, aut sunt eiusdem tituli, aut diuersi: si eiusdem tituli, conditio possidentis non est me-

melior, sed cæteri cum eo admittũtur ad ius pignoris, puta inter legatarios, dummodo possessionem vnius cæteri postulent l. is cui §. si plures, & ibi glo. non alij, cum §. seq. ff. vt in poss. legat. Ita inter eos, qui damni infecti cautionem postulant l. si finita §. si plures ff. de damno infe. Ita etiam inter creditores ex contractu l. cum vnus ff. de bon. auctor. iud. poss. l. cum apud C. eod. licèt possessio non postuletur: nam vno misso in possessionem, cæteri missi censentur ipso iure, vt in §. si plures modò cit. Refectis tamen his casibus expensis illi, qui possessionem obtinuit pro illius portione, qui ad eandẽ possessionem ingreditur l. quod priuilegiũ, cũ glo. ibi ff. depositi, & ead. l. cũ apud §. 1. Erit tamen inter istos eiusdem tituli melior conditio possidẽtis, si cæteri communicationem realis possessionis non petierint intra biennium inter præsentes in eadem prouincia, & intra quadriennium inter absentes, ead. l. cum apud §. 1. & ibi glo. & glo. non sibi, in l. is cui §. si plures, modò cit. vel si possessio data fuerit à debitore, qui rem eandem pluribus promiserat

14 l. quoties C. de rei vẽdic. Si verò † diuersi tituli sint creditores, puta ex contractu, & legatarij, sed rem eandem iure pignoris prẹto-

rij obtinuerint; cōcurrūt simul, nulla ratione habita diuersitatis tituli, ita vt prior tēpore præferatur, ead. l. is cui §. postquam, ita glo. in l. si & iure ff. qui pot. in pign. cū glo. in l. cū apud, & in l. cum vnus, modò alleg. & si inter hos diuersi tituli nemo sit anterior, sed sint eiusdem temporis; puto eos concurrere, nēpe quemlibet secundùm portionem suam, vt de duabus sententijs simul concurrentibus dictum est per l. in iudicati ff. de re iudic. cū glo. 1. in l. inter eos, eod. tit. ita quoque de hypotheca conuentionali dictum est per l. si fundus §. si duo ff. de pignor. sed si contendatur quisnam sit prior; erit melior cōditio possidentis, vt etiam de hypotheca conuentionali dictum est per l. si debitor, cum glo. 1. ff. de pignor. cum inter se ęquiparentur conuētionale, & prætoriū, vt nuper etiā dictum est.

Cum supradictis quoque hypothecis cō-
15 currit † pignus iudiciale secundùm temporis prærogatiuam, vt patet in d. l. si & iure ff. qui pot. in pign. cum l. 2. C. eod. & cum sit eiusdē roboris, ac hypotheca conuentionalis, vt in l. 1. C. si in causa iudic. præfertur posterioribus hypothecis etiam cum priuilegio, nō secus ac de anteriori cōuētionali deduximus. Veruntamen in hoc iudiciali pignore sēper

per

per est melior conditio possidentis: nam vnō misso in possessionē, cæteri missi non censentur, Bart. ita in l. à Diuo Pio §. si super n. 1. vers. præterea ff. de re iudic. per tex. in l. cū rēpublicā C. qui pot. in pign. & est ita verū, quia qui sententiā diffinitiuā obtinet præfertur inter æquales in actione, vt dictū est per l. inter eos ff. de re iud. cū similib. quapropter dicit Bart. pignus iudiciale differre à prętorio: etiā quia prætoriū militat sub titulo C. de prætor. pign. iudiciale autē sub titulo C. si in causa iudic. de quibus hic supra: neutrū tamen absq; possessione contrahitur l. non est mirum §. 1. ff. de pignerat. act. & interdum confusè alterum pro altero vsurpatur.

Nunc operępretiū est explicare hypothe-
16 carū concursū inter † causā lucratiuā, & onerosā, & quidē ad extricandam huius vulgatæ quæstionis difficultatē, priorē tēpore pręferri, auctoritate iuris expressi demonstratur: siquidem pignus prætoriū constat æquiparari pignori conuentionali l. is cui §. quæri ff. vt in poss. legat. l. 2. C. de prætor. pign. & cit. l. non est mirū, & tamen si prætorium sit anterius ex causa lucratiua legati, vel fideicommissi; indistinctè conuētionali præfertur l. si postquā C. vt in poss. legat. similiter inter duo pignora

prætoria diuersi tituli, nempe lucratiui, & onerosi, tempore anterius preferri, patet in l. is cui §. postquam, cum glo. ibi, nõ habebitur ff. vt in poss. legat. cui conuenit glo. 2. in fine in l. si & iure ff. qui pot. in pign. & glo. penult. in l. 2. C. eod. Patet quoq; quia pignus iudiciale æquiparatur, tam prætorio, quàm etiam conuẽtionali, vt in ead. l. si & iure, & in l. 2. modò cit. & in l. 1. C. si in causa iudic. & tñ si prætoriũ sit anterius ex causa lucratiua, indistinctè iudiciali prefertur, vt in ead. l. 2. & nota regulã generalem, quam subdit tex. ibi, *nã cũ de pignore*, &c. Vbi autẽ legimus causã onerosam lucratiuæ anteferri, id accipimus in actione personali, vt in l. qui autẽ §. simili modo dicimus, vsq; ad tot. §. penult. & in l. si fraudator §. si à socero ff. quæ in fraud. & in l. ignoti C. eod. & in l. fin. §. sin verò creditores C. de iure delib. etenim vbi est hypotheca, non inspicitur causa, neq; priuilegiũ, sed ratio tẽporis tãtùm habetur, vt ex l. priuilegia, cũ glo. 1. ff. de priuil. cred. l. 2. C. de priuil. fisci l. si fundũ C. qui pot. in pign. l. si pignus, & l. fin. §. fin. ff. eod. exceptis tñ quibusdam casibus ad rem præsentem non pertinentibus, vbi priuilegia vincunt hypothecã, prout inferiùs notabitur.

Nec aliquid contra operatur tex. in l. fin.

§. Lu-

§. Lucius ff. de donat. qui ad sui concordiam trahit l. 1. C. de iure fisci lib. 10. l. de rebus C. de donat. ante nupt. l. siquidem C. de donat. int. vir. & vx. & similes: nimirum quòd donatio quamuis perfecta sit, non præferatur hypothecæ posteriori, nisi tradita quoque res donata fuerit, vt notat etiam glo. 3. in l. 1. modò cit. & ratio asignatur ibi, quia traditione dominium acquiritur, vt in l. traditionibus C. de pact. itaq; antequam traditio sequatur, res donata est in dominio donantis, iuxta l. qui tibi C. de hæred. vel act. vend. & l. qui tibi C. de ijs, qui à non dom. quare potest donans eandem rem alijs pignerare, vt in eod. §. Lucius, & Bart. in ead. l. 1. quinimo hæ quatuor leges concordes nullam supponunt esse hypothecam contra donatorem, nam quælibet donatio simplici conuentione perficitur, vt ibidem Bart. per tex. in §. aliæ Inst. de donat. itaque donatario non nisi actio personalis datur eo casu ad rem donatam consequendam: nempe condictio ex l. siquis argentũ §. penult. C. de donationibus, vt glo. in eod. §. Lucius: meritò ergo postponitur creditori cũ hypotheca, iuxta l. pro debito C. de bonis auct. iud. nos enim loquimur vbi donatarius hypothecã pro re donata tenet.

Ve-

17 Veruntamen donatori ‡ beneficium competit, ne vltra quàm facere potest cōdemnetur: deducto scilicet ęre alieno, & ne egeat l. inter eos §. is quoq; ff. de re iud. quinimo omni ære alieno deducto l. & exhæredatum §. 1. eod. tit. l. maritus ff. solut. matr. ne liberalitate sua inopiæ periculum subeat l. ne liberalitate ff. de re iud. quod sanè cōtra bonos mores esset; quamobrem neque pactum valet, quo donatori hoc beneficium tolleretur, vt ex l. alia causa §. 1. ff. sol. matr. sed hoc soli donatori conceditur l. inter eos §. is quoq; modò cit. nec ad eius hæredem extraneum transit l. & si fideiussor, & l. seq. ff. de re iud. cum l. maritum ff. sol. matr. neque ad fideiussorem l. Nesennius ff. de re. iud. l. verum § videndum ff. pro socio: est enim beneficium personale, & cum persona donatoris extinguitur l. quia tale ff. sol. matr. cum l. in omnibus 69. ff. de reg. iur. extēditur tamen ad hęredem filium, vt habetur ex ead. l. maritum, & apertiùs in l. etiam ff. soluto matr. nec vlteriùs porrigitur ad filij filios, vel hæredes, vt ex l. sed si ex parte §. soli ff. quod cum eo, & Bart. in ead. l. maritum, & in l. seq. Donatore igitur, ac eius hærede filio viuentibus, hypotheca cōtra eos pro donatione postponitur cuilibet

illo-

illorum creditori ex causa onerosa, etiam cum hypotheca posteriori, & cum actione personali: aliàs enim non deduceretur omne æs alienum donatori, & ipse contra bonos mores vltra quàm facere potest teneretur, ac ad egestatem redigeretur. Cæterùm donatore, ac hærede filio mortuis, remanet firma conclusio nostra, vt hypotheca lucratiua, onerosæ non cedat. Cessat quoque beneficium hoc, & in solidum donator, eiusque filius hæres tenentur, si nō donatarius, sed eius singularis successor, seu cessionarius agat ad rem donatam consequendam, vt glo. in verbo condemnatur, in d. l. inter eos §. si quis, & glo. 1. in fine in l. Diuus Pius ff. de reg. iur. per tex. in d. l. Nesennius. Denique tenentur in solidum, si constiterit eos dolo fecisse, vt non soluendo essent ad excludendum donatariũ l. si quis dolo ff. de re iud. Itaque cōstat huiusmodi beneficium deducto ære alieno, & ne egeat, nedũ esse valde limitatum; verùm etiam facili malitia excludi posse, si scilicet donatarius cedat actionem contra donatorem.

Nec omittam ad complemētum concursus inter pignora, notabiles limitationes textus in l. creditoris arbitrio ff. de distract. pign. vbi

vbi, habetur inter creditores cum pignore, anteriori esse liberum arbitrium experiundi super qualibet re sibi obligata: cui concordat tex. in l. qui generaliter ff. qui pot. in pign. & in l. si generaliter C. eod. tit. quod quidem Bart. in ead. l. creditoris arbitrio, dixit esse contra opinionem rusticorum: & fortè rustici naturali ratione has sequētes limitationes
18 intendunt: etenim arbitrium † creditoris aliquando refrænatur, vt est exemplum si inter plures creditores, anterior tam bona feudalia in specie, quàm cætera bona debitoris generaliter habeat obligata: alij verò posteriores feudalia sub obligatione non habeant; anterior priùs ad feudalia gressus dirigat, etsi pro integra satisfactione obtinēda non sufficiant: ita vt quod deficit, suppleatur de alijs: & quæ remanent, pro satisfactione posteriorum relinquātur, vt à fortiori patet in l. 2. C. de pignor. vbi si creditor anterior, specialiter quædam, & generaliter omnia bona debitoris obligata teneat; si super specialiter obligatis valeat integram satisfactionem obtinere, non experitur interim super alijs, quæ creditori posteriori ex eisdem bonis obligata sunt: sed si appareat bona in specie obligata non sufficere; etiam priùs discu-

scutienda sunt, vt quod deest suppleatur de alijs l. quæ specialiter C. de distract. pign. dixi casum hunc esse fortiorem, quia in superiori casu posterior nullum ius habet super feudalibus, cùm feuda nunquam obligata censeãtur, nisi principis assensu mediante, cap. 1. de prohib. feudi alien. per Frider. In vsib. feud. in casu verò d. l. 2. non distinguitur, an posterior, etiam super bonis anteriori speciatim obligatis hypothecam habeat: & nihilominus meretur hanc refrænationem aduersus anteriorem: ergo maiorem æquitatem meretur posterior, qui super speciatim obligatis, nempe super feudalibus omni caret actione: ne aliàs anteriori tãtùm satisfieret, feudis penes debitorem remanentibus, qui locupletaretur cum exclusione, vel magna dilatione atq; iactura posterioris, quod est contra naturalem rationem l. nam hoc natura ff. de cõdict. indeb.

19 Veruntamen est inueteratus stylus apponendi† clausulam in instrumentis, vt specialis obligatio generali non deroget, neq; contra: quod est inuentum ad refrenationem arbitrij vitandam, ita vt qui specialem, & generalem obligationem habet, pro arbitrio recursum habere valeat ad bona tam in specie, quàm

in genere obligata: imò arbitror eam clausulam vti solitam; etiam si non apponatur, haberi tamẽ pro apposita l.quod si nolit §. quia assidua ff.de ædil.edicto:sed si esset seruanda, nulla huiusmodi refrenatio locum obtineret: intelligitur tamen apposita contra debitorẽ, cui etiam competit similis refrenatio ad specialia, vt in d.l.quæ specialiter C.de distract. pign.non verò contra pòsteriorem creditorem petentem quod sibi debetur: quando enim satis consultum est anteriori super hypotheca speciali cum supplemento ex alijs rebus vbi specialis non sufficit;non nocet illi relinquere alia bona pro satisfactione posterioris, & posteriori prodest: itaque ratione
20 hac attenta, seruanda est † æquitas faciendi quod vni non nòcet, & alteri prodest, quæ scripta est in l.2. §.item Varus, in fine ff. de aqua pluuia arc. & vti scripta,rigori præfertur l.placuit C.de iudic.imò seruanda est etiã si quod alteri prodest, alteri parum noceret, vt probat glo.sub verbo, nociturum, in eod. §.item Varus, per tex.in l. creditores ff. de euict.& l.quoties, & l.rescripta C. de prec. imp.offer.& similes: imò etiam contra hanc æquitatis rationem, neque clausula illa seruanda est vt pote iniqua, & cõtra bonos mores,

res, iuxta l.fin.§.fin.C.de pact. l.conditiones 9. & l.cōditiones 14.ff.de condit.instit.quod neq; princeps permittere potest l.filius, eod. tit.& vti contra bonos mores neque iuramēto firmatur, cap.cum contingat, ex.de iureiur.& cap.non est obligatorium, de reg.iur.
21 in 6. Si autem † creditor hypothecam specialem non habeat, sed generalem tantùm; etiam illi arbitrium refrænatur, sed solùm in gratiam debitoris, vt executio fiat priùs earum rerum, quæ minùs debitori nocent, vt notat glo.sub verbo, animalia, in l.à DiuoPio §.in venditione ff. de re iud.& hoc ex tex.in l.1.§.mulier ff.de ventre in possess. mitt. cum l.si quis sepulchrum §.fin.& l.seq. ff.de relig. quemadmodum non licet creditori propter modicum debitum rem pretiosam distrahere, si ex viliori possit integram satisfactionē obtinere, vt probat glo.in l.quādiu C.de distract.pign.per tex.in l.magis §.item prætor ff.de reb.eor.In alijs similibus casibus eadem regula sit, vt refrænationi locus detur vbi creditori anteriori non nocet, vel parum nocet, & posteriori, vel debitori prodest, secundùm iam dicta: quoniam æquitas hæc, nedum rigori præfertur, vt etiam dictum est; verùm etiam in casibus, vbi secum non habet legē;

22 ipsamet † æquitas habetur pro lege expressa, quod notabile est in modò cit.l.2.§.item Varus, in fine ibi, *etiam si iure deficiamur.*

Animaduertendum tamen est refrænatio-
23 nem† non competere quantùm ad actionem intentandam, & litem prosequendam:sed in executione sententiæ, siue cum agitur de auferendis bonis de manibus debitoris, prout loquuntur supradicta iura, & glossæ pro refrænatione allegatę: nam quantùm ad actionem intentandam, & litem prosequendam, liberum debet esse arbitrium creditori, si velit agere, simulque litem percomplere super omnibus bonis, tam in specie, quàm in genere sibi obligatis: si enim creditori coarctaretur actio ab initio, non esset illi satisfactio tuta:nam si fortè postquam litem contestatus est, vel sententiam obtinuit super bonis obligatis in specie, impedirentur, vel auferrentur eadem bona, vel ratione dominij, vel hypothecæ anterioris; oporteret eum iterum iudicium instituere super alijs bonis in genere obligatis: adeoque illi esset arbitrij refrænatio valde periculosa: qua periculi ratione attenta; in eius fauorem retorqueretur æquitas prædicta, secundùm Diui Ambros. sentētiam exaratam in cap. denique, in princ. 14.

q.5.

q. 5. cuius verba sunt ista, *si non potest subueniri alteri, nisi alter lædatur; commodius est neutrum iuuari, quàm grauari alterum.* Sed si iudicium esset summarium, posset ab initio refrænari arbitrium in actione: tunc enim si bona obtẽta, creditori auferrentur; posset ille sine noua lite summatim in alijs bonis executionẽ obtinere. Iudicij autem summarij, hoc eodẽ cap. supra tradita sunt exempla.

24 Conuenit † alius casus refrænationis, vt priùs excutiãtur bona debitoris principalis, vel fideiussoris, vel aliorum: vbi notandum duxi, quòd licèt legamus non posse conueniri eum, cui competit excussionis beneficium, nisi excussione completa, vt in l. decem, in fine, & in §. 1. Auth. de fideiussor. cum similib. nihilominus hi textus procedere debent in iudicijs summarijs, vel executionem paratã habentibus: non verò in ordinarijs, vbi altior indago requiritur: quia tunc opponens excussionem, tenetur assistere, ac respondere in iudicio excussionis ob rationem in materia refrænationis arbitrij, modò assignatam, vt scilicet cõtra eum statim obtineret actor, nec aliud incipere iudicium teneretur, si excussus reperiretur non soluendo: alioquin esset grauari actorem onere duplicis iudicij, dilationis,

nis,& expensæ pro vno debito recuperando: quod à iudice vitandum est l. quidã ff.si cert. pet.imò esset contra iustitiam alterum iuuari cum alterius detrimento,vt modò etiam dictum est per tex.in cap.denique 14. quæst.5. Præterea nec isto casu fieret contra cit. tex. in l.decem,& concord.etenim ille, cui competit excussio,non dicitur conueniri ante cõpletam excussionem,nisi sub conditione, vt eatenus demum ex eo iudicio teneatur, quatenus excussus reperiatur non soluendo.

Idem dicendum in alia refrænatione,puta si ex pluribus creditoribus, anteriori detur actio reuocandi solutum posterioribus: etenim quamuis possit reuocanti refrænari arbitrium, ne procedat,nisi contra vltimum creditorem causa vitandi circuitus, seu descensus eiusdem litis per singulos creditorũ gradus, iuxta l.videamus ff.si cui plus quàm per leg.Falc.& l.si vsusfructus ff.vsufructuar.quẽadm. cau. cum similib. nihilominus nisi agatur de summaria causa, alij quoque creditores, qui solutionem obtinuerunt, ad idem iudicium venire tenentur, vt fortassis vltimo creditore deficiente;actori statim contra eos detur executio sine nouæ litis dilationibus, & expensis, prout cum alijs rationibus in

pro-

proximè præcedenti casu dictum est.

Transeamus ad creditores in actione personali, quos apertum est etiam si priuilegium habeant, hypothecarijs cedere l.pro debito C.de bonis auct.iud.l.cum rempublicam, cũ l.eos C.qui pot.in pign. l. rescriptum ff. de
25 pactis. Patet etiam † inter personales absq; priuilegio parem conditionem esse, nullamque temporis, sed vigilantiæ prærogatiuam æstimari: itaut melior conditio sit eius, qui debitum priùs exegit l.si non expedierit §. si pupillus ff.de bon. auct. iud. l. qui autem §. sciendum, l.pupillus ff.quæ in fraud.l.summa §.sed etsi ff.de pecul. vel si nondum ad exactionem deuentum fuerit;melior conditio sit occupantis l.sed an hic ff.quod cum eo, l. ex facto §.1.ff.de pecul.hoc est eius, qui sententiam priùs obtinuit l.si verò ff.eod.tit.l.si quis à multis ff.de noxal.act.sed si inter istos creditores, quis cũ priuilegio veniat,præfertur: non tamen reuocat solutum, sed eo vsq; priuilegium eius extenditur, vt præferatur occupanti, nempe vt illi executionem sententiæ, siue solutionem impediat, vt hic supra sub num.8.latè deductum est.

26 Creditores autem in actione personali † cum priuilegio; si sint eiusdem tituli, inter

sese

sese nulla temporis ratione habita, simul concurrunt l. priuilegia ff. de priuil. cred. vt duo in actione depositi l. si hominem §. quoties ff. depositi, vel duo, quorum pecunia res fuit empta l. idemque ff. qui pot. in pign. concurrunt etiam si sint eiusdem gradus, vt actio funeraria, cum actione expẽsarum pro infirmitate l. in restituenda C. de petitione hæred. Bald. & Salyc. ibi, & Alex. & Ias. in l. fin. §. in computatione, in princ. C. de iure delib. vt latiùs infra: prout etiam concurrunt priuilegia, quæ nominatim inter se maiora esse non apparent, vt glo. magna vers. quod dixi, in d. l. priuilegia: & id ex eod. tex. habetur, vt est actio pro quasi dote, cum actione depositi, vel tutelæ l. 2. §. si sponsa, cum glo. fin. & l. dabimusque §. fin. cum glo. ff. de priuil. cred. & l. si hominem §. quoties ff. depositi: vel actio primipili, cum actione illius, cuius pecunia fuit empta militia, auth. quo iure C. qui pot. in pign. & l. satis C. in quib. caus. pign. vel hypotheca tac. sicque concurrunt etiam si contentio sit inter eos, quisnam maius priuilegiũ habeat, vt vult ead. glo. in l. priuilegia modò cit. & glo. in l. vnica C. de priuil. dot. eius enim priuilegij ratio priùs habetur, quod nominatim apparet esse maius l. verum §. fin. ff. de

mi-

minor.vt est priuilegium de damno vitādo, quod præfertur priuilegio de lucro captando: & si ambo de damno vitando; est potior causa rei, vt in ead.l.verum §.item.

27 His præcedit actio depositi, † cit.l.si hominem §.quoties,cum glo. ibi depositariorum: loquimur tamen de deposito mixto, siue irregulari: etenim quando ex eo non recipiuntur vsuræ, nihilominus depositi nomē retinetur cum prælatione inter priuilegia in actione personali: puta quādo nummulario, in quantitate, non in specie custodiendum numeratur, l.si ventri §.in bonis ff. de priuil. cred.nam vbi depositum est regulare, siue extans,non pertinet ad præsentem discursū, sed vendicatur actione dominica, vt in eod. §.in bonis, & in l.si alieni ff.de solut. & in l.si sacculum ff.depositi, cum similibus, vt supra deductum est.

28 Actioni huius depositi † mixti præcedit mutuans ad rem reficiendam,vt in modò cit. glo.depositariorum: cum hic fruatur hypotheca tacita l.1.ff.in quib.caus.pign.vel hyp. tac.ac hypothecæ quoque anteriori præfertur, l.interdum ff. qui pot. in pign. hab. Non sic præfertur depositori mutuans ad rē emendam, vel construendam, si tamen ca-

reat hypotheca expressa super re empta, vel constructa: tunc enim non obtinet nisi actionem personalem l.licèt. C. qui pot.in pign. cum l.quamuis ea C.de pignor.cum priuilegio tamen inter actiones personales l. qui in nauem,& l.quod quis,& vtrobique glo.ff.de priuil.cred.& Bart.in l. interdum ff. qui pot. in pign. Apparet igitur depositorem præferri ante has impensas: quia præfertur priuilegijs in actione personali l.si hominem §.quo-
29 ties ff.depositi. Cum igitur impendens † ad rem emendam sine cautela pignoris, præferatur inter creditores in actione personali, notare non omittam: quòd qui credidit ad merces emendas, si emptæ sunt, & extant; super eis præfertur alijs mercatoris creditoribus in actione personali,non obstãte l.procuratoris §.planè ff.de tribut.act. quia loqui-
30 tur quando pecunia † non ad rem emendã, sed simpliciter mutuatur:quoniam tunc licèt res ematur ex ea pecunia, non tamen datur eiusmodi prælatio creditori,vt glo. declarat in cit.l.quod quis ff.de priuil. cred. iuxta auth.quod obtinet C.de pignor.& ita Bart. vbi proximè. Quod fallit in pupillo l.idemque ff.qui pot. in pign. qui etiam vendicat rem emptam, sicut etiam pubes l.3. C.arbitr.tut.

&

&l.2. ff. quando ex facto tutor. Item in ecclesia, cùm æquipararetur minori, vt sup.cap. 4. in princ.prout in alijs sub curatore manẽtibus, qui minori quoque comparantur, vt supra cap.6.in princ.Item in dote l.vxor marito ff. de donat.int.vir.& vx. Item in milite l.si vt proponis C.de rei vendic.vbi glo.

31 Mutuantitad rem reficiendam,emendam, vel construendam, præfertur causa fisci, & dotis l.quod quis ff.de priuil.cred.cum §. his consequens, Auth.de æqual.dot. (excepto eo,cuius pecunia fuit empta militia,vt infra) quanquam creditores mutuantes gauderent simul expressa hypotheca, non tamen anteriori,vt mox habebimus: non obstante auth. quo iure C.qui pot.in pign.nimirum, quòd dos præferatur illis,cùm habent priuilegium in actione personali: non enim id legitur in d.§.his consequens, vnde extracta est authẽtica illa: quinimo idem textus in §.his consequens,in princ.loquitur de creditoribus ita mutuantibus, quòd præferãtur alijs anterioribus? ergo necesse est, vt loquatur de mutuantibus habentibus expressam hypothecã: vel de mutuante ad refectionem habente saltem tacitam: aliàs enim isti mutuantes cum sola actione personali, non præferrentur an-

terioribus, vt nuper deductum est: ergo idẽmet textus loquitur de dote præferenda eisdem creditoribus mutuantibus ad rem reficiendam, emendam, vel construendam: etiã si eis hypotheca sit expressa: posterior tamẽ, non anterior, secundùm glo. in verbo, posterior, in eod. §. his consequens. Præterea probantur ista per terminos planos: quandoquidem fiscus fruitur tacita hypotheca l. 2. C. in quib. caus. pign. vel hyp. tac. & l. aufertur §. fiscus ff. de iure fisci: prout etiam dos l. vnica. §. & vt pleniùs C. de rei vx. act. & l. assiduis §. ad hæc C. qui pot. in pign. sed tacita præfertur expressæ posteriori, quamuis priuilegium habenti l. vnica C. rem alien. gerent. expressę autem anteriori, neque dos præfertur, vt supra cap. 1. per ea, quę notãtur in glo. magna, vers. Tu dic tertiò, in ead. l. assiduis; neq; fiscus l. si pignus, & l. fin. §. fin. ff. qui pot. in pign.
32 Sciendum tamen † est, fisco duobus casibus denegari priuilegium. Primus casus, quando succedit in ius priuati, sed in eo quod pertinet ad tempus pręteritum ante successionẽ, vsque quo nomen debitoris inter alios debitores fisci relatum fuerit in libro fiscali; l. fiscus ff. de iure fisci. Consequenter igitur, si nomen debitoris sit incertum, antequam li-
que-

quęscat vt possit in libro referri; fiscus vtitur iure priuati. Secundus casus est quando fiscus pœnam delicti persequitur, ita vt postremo loco post omnes delinquentis creditores habeatur l. in summa, & l. quod placuit, cum alijs in cit. tit. ff de iure fisci, & in rubro, & nigro C. pœn. fiscal. cred. præferri. Scien-
33 dum quoque † est neque dotem pręferri mutuantibus ad rem reficiendam, emendam, vel construendam, nisi cùm agitur cõtra virum, & promittentes dotem, & eos qui dotare tenentur, vel super bonis dotalibus extantibus: his enim casibus doti plenè succurritur: sed contra alios pro re, vel pecunia dotali consumpta, non fruitur nisi priuilegio in simplici actione personali, vt sup. cap. 1. sub nu. 24, & 25 explanatum extat.
34 Doti † præfertur fiscus in causa primipili: & ille, cuius pecunia militia fuit empta l. vtilitas C. de primip. lib. 12. & l. fin. cum auth. seq. C. de pignor. causa autem primipili, nempe annonæ militaris, vt supra cap. 1. dictum est, præfertur doti, nedum in concursu super bonis viri, sed etiam super rebus dotalibus extantibus, sed in subsidium bonorum viri l. satis C. in quib. caus. pign. vel hyp. tac. non tamen ita puto si res dotales sint inæstimatæ,
cùm

cùm non sint in bonis viri, vt sæpe dictum est. Sic de cæteris priuilegium habentibus causa inuestiganda est: quorum catalogus recensetur in titulo ff. de priuil. cred. vt indicat glo. in l. vnica C. de priuil. dot.

Omnibus prænotatis priuilegijs præfer-
35 tur causa † impensarum pro funere, quæ vniuerso æri alieno præfertur, vt ostendit tex. in l. penult. ff. de relig. non obstante glo. ibi, in qua tam Irner. quàm Accurs. dubiè locuti sunt: Irner. nanque dixit, fortè præferri creditoribus absque pignore: & Accurs. dixit preferri creditoribus cum hypotheca tacita, aliàs fortè contra esse. Hæc enim cit. lex penult. diuiditur in duas partes. Prima pars dicit has impensas ex hereditate semper deducendas esse: sicque deducendas esse constat ante creditores cum hypothecis expressis: nam ijs de hæreditate soluendum est, vt magis latè patet in l. fin. §. in computatione C. de iure delib. quem textum notemus diligēter: dicit nanque, quòd hæres quando computat patrimonium defuncti, hoc est quando conficit inuentarium, non tenetur in eo computare impensas funeris, sed illas excipit ante: verùm si aliud creditum contra defunctũ habeat, illud recuperet postea, sequēdo for-

tu-

tunam aliorum creditorum, hoc est vt prior tempore, sit iure potior: quam quidem temporis rationem,per se patet intelligendam esse inter creditores cum hypotheca quantumuis expressa,& ita glo.in verbo seruanda, in eod.§.in computatione,per tex. quem allegat in l.si fundum C.qui pot.in pign. Itaq; sublata quauis quęstione, textum habemus, vt funeris impensæ deducantur ante hypothecas expressas:quam deductionem ipsamet rubrica Digestorum demonstrat, nempe *de religiosis, & sumptibus funerũ, & vt funus deducere liceat*:quę cùm indistinctè loquatur,nec à nobis distinguendum est l.de pretio ff. de Public.in rem act. Secunda pars dicti textus in l.penult.fortiùs roborat primã: dicit enim quòd si hæreditas funerati esset non soluendo, hoc est si pro alijs creditoribus nihil remaneret;nihilominus esse solitum has impẽsas omne creditum præcedere:quod pondera. Et confert alia ratio,quia impensæ funeris debentur extra ordinem l. si quis sepulchrum, & l.at si quis §.si cui funeris ff.de religios.idest extra ordinem creditorum,vt illis præferantur,vt infra prope finem. Confert etiam l.fin.cum authenticis sequentib.C. de sepulchro violato: vbi pro debito defũcti nõ

po-

potest eius sepultura, nec impensæ in exequias impediri. Auctoritatibus his accedit ratio huius priuilegij, quæ est ne corpora iacerent insepulta, aut ne quis de alieno funeraretur, vt in cit.l.si quis sepulchrum §. prætor ait: quoniam id eueniret contra eundem textum, si impendens in funus remaneret exclusus propter hypothecas expressas. Loquimur tamen de his impensis, quæ modum non excedant, & bona fide cum animo repetendi sint erogatę, iuxta instructionem textus in l.at si quis §. hæc actio, cum §. sed interdum ff. de religios. Quæ quidem actio, tam in bonis funerati, quàm eius qui ad funus tenetur competit, l. quæsitum ff. de priuil. cred. & de illis, qui tenentur, exempla sunt in cit.l.at si quis §.fin. cum legibus sequentib. Et quantùm ad dotem, videtur hæc actio præferri, nedum in concursu in bonis viri, sed etiam super rebus dotalibus extantibus quamuis inæstimatis, quia ipsamet dos causæ funerariæ debitrix est, vt in l.impēsa, cum seq. ff. de religios. Nec solùm pro impensis funeris erogatis, sed etiā fortiori ratione pro erogandis ista prælatio locum obtinet, vt in cit.l.at si quis, & ibi in §. funeris, & p totā, eod. tit. nā patet ex se, magis vrgere causam funeris futuri, quàm prętériti.

Cum

Cum cauſa funeris æquiparatur, & con-
36 currit cauſa impenſarum † pro infirmitate, vt habetur ex l.legatum C.de religioſ. cum Baldo, & Salyc.in l.in reſtituenda.C. de pet. hæred.& Alex.& Iaſ.in l.fin.§. in computatione C.de iure delib. quemadmodum enim modò dictum eſt impẽſas funeris deduci ex hæreditate;ita & impenſæ infirmitatis deducuntur: dummodo non ſint exorbitantes,ſed bona fide erogatæ, vt in ead. l.in reſtituenda prout etiam de impenſis funeris diximus: veruntamen nõ eadem actione iſtæ duæ cauſæ proponuntur: funeraria enim actio non pro impenſis infirmitatis, ſed funeris tantùm competit l.at ſi quis §. hæc actio,cum glo.ibi ſumptuum ff.de religioſ.quia impenſæ funeris non potuerunt explicari dum defunctus viuebat, nec ille potuit ad eas eſſe obligatus, cum nemo viuus funeretur:impenſæ verò infirmitatis ſecus: ideoque iſtæ petuntur negotiorum geſtorum actione: quemadmodum diſcurrit glo. in l.1.& in l.at ſi quis §.ſi cui funeris, ſub verbo,compellendum,& §.Labeo, ſub verbo,non acturum ff.de religioſ.Scribẽtes autem neoterici tenent non æquiparari cauſæ funerariæ, niſi impenſas vltimæ tantùm infirmitatis: ea ratione, quia vbi conua-

luit infirmus, imputandum est creditori, cur eiusmodi impensas eo viuente non recuperauerit: quod quidem suadetur etiam, quia impensæ pro vltima infirmitate videtur pars funeris, quod immediatè præcesserunt, prout præcitati duo textus in l. legatum, & in l. in restituenda, videntur quodammodo annuere. Ego tamen pro cuiuscunque infirmitatis impensis hoc priuilegium locum habere arbitror: quandoquidem cum hi textus indistinctè loquantur, neque nos distinguamus l. de pretio ff. de public. in rem act. & impensas in medicinam indistinctè extra ordinem solui habetur ex l. 1. §. medicorum ff. de var. & extraord. cogn. vt scilicet præferantur creditoribus vniuersis, etiam hypothecarijs, anterioribus, & potioribus, vt infra ppe finē: & siue viuat, siue moriatur æger deberi legitur in l. sed an vltrò §. 1. ff. de neg. gest. & in l. illicitas §. sicuti ff. de offic. præsid. sufficit enim saluti curam adhibere, vt in eod. §. medicorū. Quinimo retorqueo neotericorū rationem: cum enim dicant imputandum esse creditori, cur non exegerit has impensas dum debitor post infirmitatem superuixit; sequitur vt ipsimet necessariò concedant, quòd si creditor velit exigere debitore viuente; nulla no-

te-

tetur ei negligentia,& idem priuilegium obtineat pro infirmitate non vltima. Solùm ergo neotericorum difficultas reducitur ad vnum casum, nempe quando creditor pro infirmitate non vltima non egit, nisi debitore mortuo: & tunc non imputatur creditori,nisi tantummodo quando potuit legitimè promptam pecuniam exigere, aliàs secus l. dolus, & ibi glo. 1. ad fin.ff.mandati: neque præiudicium intulit sibi, si potuit agere, & nō egit: aliud enim est exactionem promptam negligere, aliud actionem differre: quia si distulit actionem, non amisit ius suum, quod sciebat non esse diminuendum, vel periturum lapsu temporis, sed duraturum, & ad hæredes transiturum, vt ex l.3. §.hæc autem actio ff.de neg.gest.præsertim cùm actio ista sit ad pecuniam consequendam,iuxta l.liberum,in fine ff.de religios. Cæterùm maior ratio habenda est pro his impēsis recuperandis, quādo infirmus conualuit, quàm quando mortuus fuit,quia profuerunt ad salutem, vt patet ad sensum, & habetur ex glo. sub verbo, inferas, in rubrica 83.dist.imò cum homo sit dignissima creatura l. iustissimè, cum glo. ibi, dignitatem ff.de ædil.edicto, & l. sancimus nemini, in fine, cum glo.penult.ibi C. de sa-

 cros.

crof. eccles. merces pro salute illius quodãmodo non recipit æstimationem l. penult. §. fin.& ibi glo.fin.ff.de donat. & omnia subiecta sunt pedibus eius, vt in psalmo 8. Et insuper, vt legimus Lucæ 10. etiã ex ore Christi Domini videtur tutus reddi creditor pro his impẽsis recuperãdis, ita enim (attẽta litera)sub Samaritani parabola inquit, *curã illius habe,& quodcũque supererogaueris,ego cũ rediero reddam tibi.* Nec solùm impensæ infirmitatis erogatæ,verùm maiori ratione,etiam erogãdæ obtinent eandem prærogatiuam,quia vrgentior est hæc impensa facienda, quàm facta recuperanda, vt per se patet, & probatur ab alimentis necessarijs præstandis, quæ omnibus creditoribus præferuntur,vt infra:cum & hæ impensæ sub alimentis contineantur,l. verbo victus, cum l.seq.ff.de verb. sign. vt etiam per se patet:dummodo bona fide sint erogatæ, ne scilicet exorbitantes sint, vt repetam quod supra dixi, & vt nõ pietatis causa,sed repetendæ solutæ sint, vt modò de alimentis præstitis habebimus.

Cum pręfatis impensis pro infirmitate cu-
37 randa,exæquantur † impensæ pro conseruãda valetudine: nam etiam debentur extra ordinem, quæ scilicet ad alimenta necessa-

ria

ria pertinent l. 1. C. de oper. libert. dummodo ipsi, qui alendus est, alia subsidia desint l. si quis à liberis §.sed si filius, & §.alimenta ff. de liber.agnosc.cap.aurũ ecclesia 12. quæst. 2.quod sanè illis potissimùm contingere solet, qui vel infirmitate, vel carcere,vel aliter impediti, nec artem exercere, nec mendicare possunt, vel quos pro sui status qualitate mendicare dedecet, cap.episcopus 82. dist.cap.non satis, & cap. consideranda 86. dist. Et extra ordinem hæc alimenta deberi, denotat vt omnibus creditoribus, quantumuis hypothecarijs, anterioribus, & potioribus præferantur, vt infra prope finem. Esurientium nanque panis est, quem alij detinent, & nudorum indumentum quod recludunt, & miserorum redemptio, ac absolutio pecunia, quam abscondunt, cap.sicut ij, 47. dist. & ne quis fame pereat (quod est notatu dignũ) vasa sacra ecclesiæ,etiam initiata cõfringenda, ac vendenda esse habemus in cap.aurum ecclesia, modò cit. imò necare dicitur, qui aliméta necessaria denegat, cap. pasce 86.dist.l.necare ff.de liber.agnosc. Alimentorum autem appellatione,cibaria,vestiaria, & habitationem contineri legitur in l.legatis ff.de alim.& cibar.leg.& in l. verbo

victus ff. de verb. sign. ac ea pro dignitate personarum decernenda esse dicit textus in l. si cui ff. de annuis legat. & consequenter etiam impensas pro famulis, & alijs cõmoditatibus secundùm dignitatem præcisè necessarijs, comprehendi sub alimentis constat, vt cõuenit etiam notabilis glo. in verbo, onera, in §. illud quoque, Auth. de non elig. per tex. in l. si cum dotem §. si autem, ibi, *vnà cum sua familia* ff. soluto matrim. Per hæc igitur pijssima iura, tam creditores eius, qui alere tenetur, quàm eius, qui alendus est; non quidem satisfactionem obtinebunt, nisi deductis priùs eiusmodi necessarijs alimentis, tanquã ære alieno eorundem creditorum. Neque præteribo indubitatam sententiã verbis ampliorem, desumptam ex textu in l. obligatione, cum duabus legib. seqq. ff. de pignor. vbi supellex, vestis, aliaque ad quotidianum vsũ pernecessaria, sub generali bonorum obligatione non continentur, ac debitori relinquẽda sunt: etenim ratione longè maiori proculdubio velle videntur istæ leges, vt cætera etiam alimenta cum cibarijs exclusa sint à generali bonorum obligatione, ac vt libera debitori relinquantur, vtpote ad quotidianum vitæ subsidium prȩcisè necessaria plus

quàm

quàm supellex. Praeterea fortiori etiam ratione non debent creditores alimenta auferre, quàm alij tenentur ea praestare: quia cõtra creditores alimenta retinentur excipiendo, secundùm textus prox.citatos, vt exprimit etiam optimus tex. in l.qui bonis, vers. nec enim ff. de cess. bonor. At contra alios qui alere tenentur competit actio: faciliùs enim datur exceptio, siue retentio, quàm actio l.si in area ff.de condict.indeb. Itaque regulam colligo, vt qui artem exercere, vel aliter lucrari non valent, ac mendicare nõ possunt, vel eis non liceat; non conueniantur (vt aiunt) vsque ad sacculum, & peram vacuam, illis ad mendicandum relinquendam: sed ea pro necessario, seu tẽperato vitae subsidio pro illorum qualitate, plena, & indeficiens relinquenda sit. Sed si creditor quoq; pauper esset, ad huiusmodi alimenta, non quidem teneretur, quia prima caritas incipit à propria persona, vt dixit Bald.in l.praeses C.de seruit.& aqua, per illum textum.

Haec tamen priuilegia dari constat pro alimentis praestandis pro futuro, vel praesenti
38 vitae subsidio: nec porriguntur ad alimenta † pro subsidio praeterito nõ soluta: nam ea priuilegijs destituta sunt l.de alimentis C. de

trans-

transact. sed indistinctè peti possunt ordinario iure, si iure actionis debebantur, nimirũ si ab homine promissa sint, ita vt etiam absq; interpellatione sint præstanda l. libertis quos §. manumissis ff. de alim. & cibar. leg. Si autẽ iudicis officio debebantur, scilicet ex legis dispositione, non debentur, quia supponitur is, qui alendus erat, se ipsum alere potuisse, cum se aluerit, iuxta l. si quis à liberis §. sed si filius, & §. alimenta ff. de liber. agnosc. Fallit tamen hoc, & alimenta officio iudicis debita, & præterita debentur, si alendus pro eisdem alimentis æs alienum contraxerit, vt ex l. pater, & l. fin. ff. de in rem verso. Ita Bart. in cit. §. manumissis. dummodo debitor alimẽtorum interpellatus fuisset, l. aut si ante ff. de rei vendic. Imò etiamsi æs alienum contractũ nõ esset, nihilominus ex die interpellationis, alimenta, quamuis præterita, pro futuris habentur, & debentur: ne aliàs malitiosè differrentur, & negarentur: vnicuiq; enim mora sua nocet l. in condemnatione §. vnicuiq; ff. de reg. iur. quę quidem interpellatio vtpote pro re quæ debetur officio iudicis debet esse iudicialis l. cum postulassem, vbi glo. & scriben. ff. de damno infe. nulla tamẽ requiritur interpellatio vbi interpellandi facultas de-

deficit, vt paulò inferiùs habebimus. Quinimo vbi is qui alendus erat, æs alienum pro alimentis contraxit, & antea debitorem alimentorum interpellauit in iudicio, vt iam diximus; puto eum id quod debet recuperare posse ab eodem debitore alimentorum, cum priuilegio ante omnes illius creditores, non secus ac si alimenta ab eo peteret, secundùm supradicta: ne si aliter ipse excluderetur ab eisdem creditoribus, remaneret alimentis fraudatus tanquam debitor æris alieni contracti: & satis quidem iniquum esset si impēsa in opportunum vitæ subsidium, non subrogaretur in locum alimentorum non solutorum, quibus creditores omnes postponebantur, secundùm iam dicta: regula enim est, vt subrogatum sapiat naturam eius, in cuius locum subrogatur, quando subrogatur ad eundem effectum, vt in casu præsenti, secundùm Bart. in l. pater filium, 2. lect. n. 13. ff. de inoffic. testam. per tex. in l. cum in fundo §. si fundus ff. de iure dot. & colligitur ex cit. l. pater ff. de in rem verso. Præterea esset repellere homines ab huiusmodi misericordia si periculum huius impensæ recuperandæ subirent: quando scilicet non aliter donare impensam, sed tantùm opportunè succurrere

voluerunt. Eaque repulsa, esset etiam contra cit.cap.pasce 86.dist. vbi quilibet tenetur pascere fame morientem, ne aliàs eum occidere dicatur.

39 Præstita autem † alimenta necessaria, aut pietatis causa, aut repetenda erogata sunt. Si pietatis causa, non repetuntur l.ex duobus §. fin.ff.de neg.gest.nisi in casu textus in l.patrē C. de nupt. Si repetenda data sint, repetūtur, nempe vel vtili actione de in rem verso, puta si quis pro alimentis mutuò pecuniam dederit l.pater, & l.fin.ff.de in rē verso; vel actione negotiorum gestorum, si aliter alimenta subministrauerit l.alimenta C. de neg.gest. dummodo tamen priùs interpellatus, fuerit qui alere tenebatur, isque dissimulauerit, vt dictum est per cit.l.aut si ante ff.de rei vēdic.in iudicio tamē opus erat eū interpellari si officio iudicis tenebatur, vt etiam dictū est: si verò iure actionis, sufficeret id extra iudiciū l.qui Romæ §.cohæredes ff.de verb. oblig. imò ipso iure interpellatum intelligitur in causa alimentorum, vt diximus per tex. in l.libertis quos §.manumissis ff. de alim. & cibar.leg. quemadmodū omnibus casibus, vbi quid sub certa die debetur l.magnā C.de cōtrah.& committ.stip. Interpellatio tamen excu-

cusatur vbi non potest adhiberi propter absentiam, & vrgentem alendi necessitatem, vel alio iusto impedimento, argum. l.item quæritur §. exercitu ff.locati,& l.cum à matribus C.qui petant.tutor.

Creditor autem his casibus pro eiusmodi necessarijs impensis erogatis, recuperandis, si alitum quoque obligatum teneat; eodem priuilegio fruitur, quo alendus frueretur, vt præferatur cūctis creditoribus eius, qui alere tenebatur,ne aliàs & ipse alitus obligatus remaneret, vt modò diximus. Vbi autem alitus nō tenetur; creditorē eandem prælationem mereri puto,ex eo quia opportunū vitę subsidium esuriēti suppeditauit, vt etiā diximus. Consultiùs tn̄ creditor se gessisset si cessionē priuilegij ab alito procurasset:ne aliàs ipsi imputaretur si id obtinere potuisset, & omisisset, vt ex l.veteribus ff.de pact.priuilegia enim non nisi per cessionem trāsferri videntur l.2. C.de ijs,qui in prior. cred.loc. succ.l.cum alter C. de fideiussor.l.2.C.de iure reip.lib.11.cū similib. sed faciliùs quando causę,non personæ concessa sunt, l.3.§.fin.ff. de cēsib. vt est hoc priuilegium pro alimentis,& facit l.priuilegia ff.de reg.iur. quę quidem cessio, vel saltèm pactum cedendi præ

cedere debet alimenta l. Modestinus ff. de solut. Regula verò quando pietatis ergo, vel animo repetendi præstita censeantur alimenta non potest exactè assignari, sed ex facto contingenti animus repetendi colligẽdus est: nisi expresse cautũ sit, ne de suo quis aleret: & exempla sunt in l. Nesennius ff. de neg. gest. in l. alimenta, & in l. si paterno C. eod. & ex l. at si quis §. sed interdum ff. de religios. cum similib. Impensã autem in nutricẽ pro lacte infantium, indistinctè extra ordinẽ deberi, nempe præferri, constat in l. 1. §. ad nutricia ff. de var. & extraord. cognit.

40 Præferendam † deniq; puto creditoribus omnibus cuiuscunque prerogatiuæ, ac hypothecæ anterioris, & potioris, causam redemptionis captiuorum: presertim ad eorum animas, & corpora ex hostium periculis eripiẽda: nõ enim plus valere debet pecunia propria, quàm vita morituri, cap. non satis 86. dist. quæ quidem pecunia retenta, miserorum redemptio est, & absolutio, cap. sicut ij 47. dist. quamobrem vasa sacra, etiam initiata confringi, & cum alijs rebus ecclesiæ venundari leges iubent, cap. sicut omnino, cap. aurum ecclesia 12. quæst. 2. l. sancimus nemini C. de sacros. eccles. Quantùm verò ad has impen-

pensas erogatas recuperandas; captiuus reuersus rectè loco pignoris retineri potest vsquequo pretium suæ redemptionis restituat l.2.& per tot. C. de postlimin. cum similib. Neq; minor prærogatiua debetur hic, quàm in recuperandis impensis pro infirmitate, de quibus nuper locuti sumus: quia hic, & animæ, & corporis salus attenditur, licèt redemptio non sequatur: sufficit enim ad id curam adhibitam fuisse, vt cautè probatur ex l.1.§. medicorũ ff. de var. & extraord. cognit. Cõ-
41 stat igitur ex prędictis impẽsas in† singula ex septẽ operibus misericordiæ corporalis, priuilegium ante omnes creditores obtinere.
42 Debentur † non secus ac alimenta extra ordinem, vt omnibus præferantur, impensæ quæ pertinent ad misericordiam spirituale͂, nimirum ad docendum ignorantem: vt sunt salaria, siue mercedes pro magistris artium liberalium, quibusdam exceptis, vt in cit. l.1. & per totam ff. de var. & extraord. cogn. & non sine ratione, liberalium artium tantùm meminit hic textus, quia pro mechanicis apprehendendis, neque misericordia, neque impensa opus est: pro liberalibus enim discipulus magistro salarium soluit: pro mechanicis verò magister discipulo. Eadem tandẽ

sen-

ſententia prælationis locum obtinet in qui-buſcunq; impenſis neceſſarijs pro animæ periculo vitando, ſecundùm proximè deducta.
43 Reſtat videamus † an pignus, vel priuilegium competens pro ſorte, competat etiam pro acceſſionibus, nempe pro vſuris (loquimur tamen de vſuris prout ſunt acceſſiones licitæ) ſiue pro eo, quod intereſt ſortem non fuiſſe ſolutam loco, vel tempore opportuno: qua in re, quantùm ad pignus vbi acceſſiones debentur tantùm naturaliter, ſiue officio iudicis, nempe ſi deductæ non ſint in ſtipulatũ; pignus pro eis non tenetur, niſi ſaltèm nudo pacto de illis præſtandis conuenerit l. ſolutum §. ſi in ſortem, ff. de pign. act. l. per retentionem l. pignoribus C. de vſur. l. grege
44 §. fin. cum glo. ff. de pignor. Fideiuſſor † autem etſi obligetur ſimpliciter, tamen augetur eius obligatio, vt extendatur ad vſuras inter creditorem, & principalem debitorem conuentas l. cẽtum Capuę ff. de eo quod certo loco: idque tamen non niſi in iudicijs bonæ fidei locum obtinet l. quæro ff. locati: & niſi expreſsè pro ſorte tantùm obligetur fideiuſſor, vt in d. §. ſi in ſortem, & in l. fideiuſſores magiſtratuum ff. de fideiuſſor. Ad hæc reducitur concluſio Bartoli in eod. §. ſi in ſortem.

tem. Cum ergo pignus pro sorte retineri possit pro vsuris conuentis tantùm; sequitur vt eædem vsuræ cum sorte passibus æquis ambulẽt, ita quòd potior pro sorte, potior quoque sit pro vsuris conuentis tantùm, vt confirmatur in l. Lucius ff. qui pot. in pign. non vero pro non conuentis, vt ex l. pecunia C. de priuil. fisci: sequitur etiam vt hypotheca tacita pro sorte, non extendatur ad vsuras, quia ibi non conueniuntur vsuræ: sequitur insuper, vt neque priuilegia pro sorte extendantur ad vsuras, quia nec ibi vsuræ conueniuntur.

Veruntamen præferuntur vsuræ conuentę cum priuilegio sortis, si priuilegia hypothecam expressam secum habeant, vt si de ea sibi cauerit mutuans ad rem emendam, iuxta l. licèt C. qui pot. in pign. & l. quamuis ea C. de pignor. vel eadem ratione mutuans ad rem reficiendam, siue conseruandam, qui licèt cũ priuilegio tacitam habeat hypothecam, vt in l. interdũ, cum l. seq. ff. qui pot. in pign. iũcta l. 1. ff. in quib. ca. pign. vel hyp. tac. tamen tacita non sufficit, quia non potest continere vsuras cõuentas, nisi expressa intercedat, vt modò dictum est. Nedum igitur hypothecæ expressæ cum tempore cõceditur, vt cum

sor-

sorte trahantur vsuræ conuentæ; verùm etiã hypothecæ expressæ cum priuilegio, vt etiã colligitur ex sentẽtia textus in d.§.si in sortẽ, & concord.& præsertim in d.l. Lucius, vbi potioris ratio habetur:quoniam ambæ causę potiores in pignore habentur, altera scilicet vt anterior,vt in l.potior,cum rubrica, & tit. ff.qui pot.in pign. altera verò vt priuilegiũ habens, vt in l.interdum, & seq.& in l. licèt, modò cit.iuncta l.qui in nauẽ,& l. quod quis ff.de priuil.cred.cum similib. itaque sicut vsuræ conuentæ vnius potioris debentur cum sorte; ita vsuræ alterius potioris propter parem rationem,iuxta l.non possunt cum l.seq. ff.de legib. imò his casibus creditor potior ex priuilegio præfertur potiori ex tempore, vt in d.l.licèt, & in l.interdũ cum cõcordantib.itaque etiam maiori ratione priuilegium cũ hypotheca expressa debet cum sorte tra-
45 here vsuras conuentas. Non tamen † vniuersa debitoris bona sequitur, hæc hypotheca, neque eius priuilegium,sed rem emptam,refectam, vel conseruatam duntaxat, pro qua principaliter expensæ erogatæ sunt siue mutuum datum, vt colligitur ex eisdem legib.& apertiùs habetur in §.his consequens Auth. de æqual.dot.nec obstat cit.l.interdum,cum

l.seq.

l.seq. quòd impensæ pro cibarijs nautarum præferantur super naui, seu mercibus: quia non pro nautis principaliter, sed vt nauis salua redderetur erogatę sũt. Itaq; nec ad causã mediatam pręlatio extenditur, puta ad lucrum, & augmentum perceptum ex re empta, refecta, vel conseruata: quod etiam patet, quia priuilegia, nedum non extenduntur l.2.C.de legib. verùm ne ad consequentiam quidem protrahuntur, l.quod verò ff. eod. l. quod contra ff. de reg. iur. & cùm hæc hypotheca cum priuilegio sit specialis, non extẽditur ad alia bona, quàm ad rem specialiter obligatam l. pignus C. de pignerat. act. imò neque ad pretium rei obligatæ extenditur l. 1. ff. de distract. pign. eòque minùs si pretium sit mixtum, siue consumptum, iuxta l. si alieni ff. de solut. cum similib. si ergo sors restringitur ad rem tantùm, vbi priuilegium tenet; vsuræ quoque ad rem eandem restringuntur, cùm sortem sequantur, vt iam dictum est. Sequitur etiam ex dictis, quòd quamuis cum speciali hac hypotheca essent simul bona omnia debitoris obligata; nihilominus in alijs bonis haberetur ratio temporis, nõ priuilegij: quamobrem oportet emptorem eius rei specialis esse cautum, vt pretium dirigat

creditori potiori super ea re, iuriũ ab eo cessione obtenta: prout etiam creditor ille solicitus esse debet, vt pretium sibi tali modo dirigatur: tũc enim videtur pecunia immediatè transire à soluente ad potiorem, vt ex l. sed etsi §. 1. ff. ad Maced. ne si aliter solueretur; alijs venditoris creditoribus cum hypotheca generali subiaceret, iuxta l. cum tabernam §. fin. ff. de pignor. & potior. cum priuilegio, ac emptor præiudicium, & iacturam paterẽ-
46 tur. Contra autem, vt hypotheca† expressa pro accessionibus extendatur ad sortem debitam sine hypotheca ostendit glo. in cit. l. solutum §. si in sortem ff. de pignerat. act. per tex. in l. 1, §. 1. C. etiam ob chirogr. pecun.

Sed facilis erit obiectio; si creditor pro cõseruatione, siue refectione præfertur super re conseruata, siue refecta duntaxat, secundùm iam dicta per l. interdum, cum l. seq. ff. qui pot. in pign. & concordantib. sequitur ri-
47 dicula consequentia, quòd medicus † non præferatur pro sua mercede, nisi super personа illius, cui curam adhibuit si eum sanauit: quemadmodum pharmacopola, & alij medicamenta præstantes; isti enim etiam exhibere medicinam videntur, vt ex l. 1. §. medicorum, cum duob. §§. sequentib. ff. de var. & ex-

extraord.cognit.prout & ipse, qui alimenta præstitit cum animo repetendi ea, non quidem tacitam hypothecam, & prælationem obtineret, nisi super homine alito tantùm, non autem super bonis eius: quare prælatio in nihilum redigeretur, nec locum haberet nisi is, pro quo impensum est fuisset seruus venalis l.nisi venalē cum l.seq.ff.de rei vendic.vel infans expositus l.1. C. de infant. expos.vel captiuus redemptus l.2.C. de postlimin.vel in alio simili casu. Nec aduocatus præferretur, nisi super bonis in lite obtenta deductis: textus enim in d.l.interdum,cum l.seq.se extendit ad plures casus refectionis, & conseruationis, & consequenter ad alios similes non expressos, vt sunt isti ob sanitatē, & bona conseruata, propter eandem rationem, iuxta l.non possunt, cum l.seq. ff. de legib.l.à Titio ff.de verb.oblig.l.tutela, cum glo.2.ff.de legit.tutor.& scribentes in ead.l. interdum. Obiectioni tamen respondendū puto, esse totum verum, vt solùm super re, vel persona refecta, siue conseruata detur prælatio, secundùm hanc rationem: sed medicus,pharmacopola, & similes ad infirmitatem curandā, & aduocatus;alia ratione iuuātur,quia mercedem extra ordinem obtinent,

vt in l. 1. & tit. ff. de var. & extraord. cogn. & pro alimẽtis prę̄ſtitis etſi nõ detur hypotheca, tamen alia priuilegia dãtur, vt ſupra hoc
48 eod. cap. deductũ eſt. Et extra ordinem † deberi aliquid, denotat, vt debeatur non ſecundùm formulam ordinariorum iudicum, ſed auctoritate extraordinaria, hoc eſt extra ſolennem iudicandi ordinem l. ordo ff. de public. iudic. & facit l. ſed & ſi §. ſi feriæ ff. ex quib. cauſ. maior. & l. omnes omnino C. de annon. & trib. lib. 10. nempe ſecundùm ęquitatem, ad quam exercendam in quibuſdam caſibus, æquitate dignis, dignabantur Prętores, Præſides, Præfecti, alijque ſupremi magiſtratus l. 1. §. eſt autem ff. de exercit. act. & ex Sueton. in Domit. cap. 8. in princ. ſuſpenſa interim ordinariorum iudicum iuriſdictione in ſimilibus cauſis l. 1. §. ad nutricia, & per totã ff. de var. & extraord. cognit. Vnde quod ſub eadem æquitate debetur, deberi conſtat extra ordinem aliorum creditorum, quantumuis anteriorum, & potiorum, vt illis præferatur: hæc enim æquitas meretur extraordinarium ius, nempe vt exerceatur extra ius ciuile l. ſi quis ſepulchrum, verſ. non tamen ff. de religioſ. & facit l. pecunia C. de priuil. fiſci. Imò meretur etiam extraordinarium iu-

iudicium l.cum filiusfam.ff.si cer.pet.nempe vt causa summatim cognoscatur l.à DiuoPio §.si super ff.de re iudic. Aliàs superuacuum, & inutile fuisset viros tam supremæ iurisdictionis, ac auctoritatis ita dignari, suspensa interim iurisdictione iudicum ordinariorũ, vt diximus. Et ne termini confundantur, vbi legimus omnia iudicia esse extra ordinẽ, vt in §. fin.Inst. de interdict. id intelligitur extra subtilem formulam,siue ordinẽ verborum, qui antiquitus adhibebatur in actione proponenda l.actio ff.de neg. gest. sed postea sublatus fuit l. 1.& 2.C.de formul.& impetr. Nos autem loquimur de causis, quæ merentur æquum ius, & summarium iudiciũ, sicut iam deductum est. Præterea mercedes medicorum, & similium medicinam exhibẽtium, computantur cum impensis infirmitatis, quæ, vt etiam deductum est, præferuntur hypothecis, ac priuilegijs quibuscũque, siue sanetur, siue moriatur infirmus. Cætera ad materiam concursus dispersa sunt in iure, præsertim in titulis de pignore tractantibus: siquidem cunctos casus prælationis in concursu enumerare, penè impossibile, & potiùs laboriosum, quàm subtile esset.

Scri-

Scribebam hæc ego Antonius Galisius V. I. D. ad Dei laudem, & gloriam, & commodum studiosorum iuris. Anno à mundo redempto millesimo, sexcentesimo sexagesimo octauo. In alma Vrbe Neapolis.

FINIS.

IN-

INDEX

Eorum, quæ in hoc Opere continentur.

A



eius

B

Car-

C

etsi

D

E

Fi-

F

Fi-

H

I

Iu-

L

M

Mi-

N

O

P

pro

Pri-

R

S

Ta-

T

V

F I N I S.

Errata Corrigenda.

PAgina 10. linea 19. nam seruando, dic, & seruando. 16.5. per textus, & Bulgar. ibi allegatos, dic, & glo. in §. fuerat Inst. de action. secundùm textus, Bulgar. Ioan. & Azon. ibi allegatos. 41.8. iure vti, dic, iure eam vti. 71.4. promeruisse legitur, dic, promeruerit, vt legitur. 115. 3. renunciando eidem, dic, renũciando (quod neque necesse esset cum obligentur supellectilia in specie) eidem. 116. 19. de reg. iur. dic, ff. de reg. iur. 181. 16. in fine, dic, in fine ff. de verb. oblig. 189. 7. cred. præferri, dic, cred. præferri lib. 10. 205. 11. cognit. dic, cognit. iuncta l. sed an vltro §. 1. ff. neg. gest. In indice sub litera A, suo loco, dic, Aduocatus qualiter pro sua mercede præferatur cap. 10 n. 47. pag.... In summarijs corrige sequentes numeros, nempe cap. 5. num. 6. cap. 8. num. 10. 17. & 24. & cap. 9. num. 16. & dic, vt rectiùs sub indice exarantur, incipientes per eadem sua prima verba.



523828

